




Förster Burch.


H. H. W. 775.

4° Math. 863 <sup>Beth. 8/13</sup> Hylacomiles  
Indumentum (4)

= Cim. 74

(Wirklicher Verfasser  
Mathias Ringmaier <sup>Clarae</sup>).





a. H. 775  
1

**COSMOGRAPHIAE  
INTRODUCTIO  
CVM QVIBVS  
DAM GEOME  
TRIAE  
AC  
ASTRONO  
MIAE PRINCIPIIS AD  
EAM REM NECESSARIIS**

Insuper quattuor Americi  
Vespucij nauigationes.

Vniuersalis Cosmographiae descriptio tam  
in solido & plano / eis etiam insertis  
quæ Ptholomeo ignota a nu  
peris reperta sunt.

**DISTHYCON**

Cum deus astra regat / & terræ climata Cæsar  
Nec tellus / nec eis sydera maius habent.



DIVO MAXIMILIANO CAESARI SEM  
PER AVGVSTO GYMNASIVM  
VOSAGENSE NON RVDIBVS  
INDOCTISVE ARTIVM HV  
MANITATIS COMMEM  
TATORIBVS NVNC EX  
VLTANS GLORIAM  
CVM FOELICI  
DESIDERAT  
PRINCI  
PATV.

SI MVLTAS ADIISSE REGIONES ET  
populorum vltimos vidisse/ non solum voluptari  
um: sed etiam in vita conducibile est (quod in Pla

*Appollonius Tispi plena  
llo Circeus & Lysias  
progenitor fuit. Ab sodis  
vnde nominamus*  
tone Apollonio Thyaneo atq; alijs multis philoso  
phis qui indagandarum rerum causa remotissimas  
oras petierunt/clarum euadit.) Quis o Cæsar in  
Boetius nictissime regionum atq; vrbium situs/ & externo  
rum hominum.

*Carmen Sapphini Thraci  
num. Endersyllabum  
Aratensis. De Novis  
nis autem partibus indu  
citur: que ita in usus  
restitutis tot gelidi  
dominabantur*  
Quos videt condens radios sub vndas

*Phœbus: extremo veniens ab ortu:*

*Quos premunt septem gelidi Triones:*

*Quos Nothus sicco violentus æstu*

*Torret ardentes recoquens harenas:*

*Non posuerat & mudi plaga suis anguli Oris Omichtis  
Septentrio & moribus inimicis desirib.*

## MULIERUM

Quis inquā illorum omniū ritus ac mores/ex lis  
bris cognoscere: iucūdum ac vtile esse inficias ibit:  
Sane (vt sapientū fert opinio) sicut longissime per-  
egrinari laudabile est/ ita de quo quis mortalium cui  
perīmensus ipsiē terrarum orbis vel ex sola chartas  
rum traditione longe lateq; spectabilis atq; cogni-  
tus est non absurde repeti potest quod ab ipso poe-  
tarum principe Homero musa Clio de Naricio du Home  
ce verbis istis rogabatur.

*Clio kaiw i lamo scribisti  
rus de laempe  
nayrin em insula  
in mari sonio que  
fuit Ulysses*

Dic mihi musa virum/captæ post tempora Troie

Qui mores hominum multorum vidi & yrbes'

Hinc effectum est/ut nobis (qui librariam offici-  
nam apud Lotharingie Vosagū in oppido cui vos-  
cabulū est sancto Deodato/ nuper ereximus) Ptho  
Iomēi libros post exemplar græcum recognoscēti-  
bus: necnō quattuor Americi Vespucci nauigatio-  
nū lustratiōes adiūcientibus: totius orbis typum tā  
in solido q; plano (velut prœuiā quandā sagogen)  
pro communi studiosorum vtilitate parauerimus:  
Quē tuę sacratissimę maiestati/ cū terrarum dñs ex-  
istas dicare statuimus. Rati nos ipsos voti compo-  
tes & ab emulorum machinamentis tuo (tam q;  
Achillis) clipeo tutissimos fore / si tuæ maiestatis  
acutissimo in eis rebus iudicio/ aliquantula saltem

A ij

## ANTILOQVIVM

ex parte nos satissecisse itellexerimus. Vale cæsar in  
inclytissime. Ex superius memorato sancti Deodati  
oppido. Anno post natum Saluatorē supra sesqui-  
millesimum septimo.

## TRACTANDORVM ORDO

- Cum Cosmographiæ noticia sine prævia quadā  
astronomiæ cognitione / & ipsa etiam astronomia  
sine Geometriæ principijs plene haberi nequeat: di-  
cemos primo in hac succincta introductiōe paucus-  
la de Geometriæ inchoamentis ad spheræ materia-  
lis intelligentiam seruientibus.
- 2 Deinde quid sphaera/axis/ poli &c.
  - 3 De coeli circulis.
  - 4 Quandam ipsius spheræ secundum graduū ratio-  
nes Theoricam ponemus.
  - 5 De quinqꝫ Zonis coelestibus earumdemꝫ & gra-  
duum coeli ad terram applicatione.
  - 6 De Paralellis.
  - 7 De climatibus orbis:
  - 8 De ventis cū eorꝫ & aliarū rerū figura vniuersali
  - 9 Nono capite quedā de diuisiōe terre/de sinibus ma-  
ris/de insulis/ & locorꝫ ab inuicē distātia dicent̄.  
Addetur etiam quadrans Cosmographo vtilis.  
Ultimo loco q̄tuor Americi Vespuçij subiūgent̄: p-  
fectiōes. Et Cosmo, tā solidā q̄planā describemus.

DE PRINCIPIIS GEOMETRIAE  
AD SPHERÆ NOTICIAM  
NECESSARIIS.  
CAPVT PRIMVM



VIA IN SEQUITIBVS  
circuli/circumferentie/centri/ dia-  
metri/ & id genus aliorum crebra  
mentio fiet: ideo primum nobis  
singillatim/de talibus breuissime  
tractandum venit.

Est igitur Circulus/ figura plana vna quidem cir-  
cumducta linea contenta: in cuius medio punctus  
est/ a quo omnes rectæ lineæ ad circūdantem lineā  
eductæ ad inuicem sunt æquales.

Figura plana/est cuius medium nō subsultat/ne-  
qz ab extremis egreditur.



Circūferentia/ est linea circulū continens ad quā  
omnes rectæ lineæ a cētro circuli eiectæ inter se sunt  
æquales/que & ambitus/ & circuitus/ curuaturaqz  
ac circulus a latinis/ græce autē peripheria dicit.

Centrum circuli/ est punctus ille/ a quo omnes  
rectæ ad lineam/circulum continentē eductæ ad in-  
uicem sunt æquales.

Dimidius circulus/est figura plana diametro cir-  
culi & medietate circumferentie contenta:

Diameter circuli/est quecūqz linea recta per cen-

A ij



Sola finito linea  
est circumferentia no  
minanda: quod au  
t̄ in ea claudit dimi  
nulus: C q̄t sup̄

## SPHERHAE MATE.

trum circuli transiens vtrinq; ad circuli peripheris  
am eiecta.

Linea recta/ est a puncto ad punctum extensio  
breuissima.

Angulus est duarum li<sup>n</sup>te<sup>r</sup>ar<sup>z</sup> mutuuus contactus  
Est enim figuræ particula a linea contactu in ampli  
tudinem surgens.<sup>bor pultis tunc</sup>

Angulus rectus/ est angulus ex linea supra linea  
cadente/ & vtrinq; altrinsecus duos ad inuicē equa  
les angulos faciente causatus: quē si rectae linea<sup>e</sup> con  
tinēt rectilineus: si curv<sup>u</sup> curuu spherulicq; dicetur

Obtusus est q; est recto maior. Acutus recto minor

Solidum/ est corpus longitudine/ latitudine/ alti  
tudineq; dimensum. *Ur Celus sive mundus*

Altitudo/crassicies/profunditas idem.

Integrum est res tota/ aut rei pars quæ sexagenaria  
partitione non prouenit.

Minutum/ est sexagesima integræ pars.

Secundum/ sexagesima pars minutæ.

Tertium sexagesima secundi: & ita deinceps.

Caput secundum. Quid sphaera axis  
poli &c, strictissime perdocet.

Antea q; aliquis Cosmographiæ noticiā haberi  
possit/necessum est vt sphaerae materialis cognitio  
nem habeat. Postquod vniuersi orbis descriptio  
primo a Ptholomeo atq; alijs traditam/ & deinde  
per alios amplificatā nuper vero ab Americo Ves-

# RVDIMENTA

Sputio latius illustratā facilius intelliget. Igit̄ sphaera  
 (vt eam Theodosius in libro de spheris definit) est Theos,  
solida & corporea figura vna quidē conuexa sup̄f̄ dosius  
 cie contenta/in cuius medio punctus est/a quo om  
 nes recte ad circumferentiam educte ad inuicē sunt  
 ęquales. Et cum( vt neotericis placet) decē sint sphe  
 re coelestis fit materialis sphera ad instar octauę( q̄  
 quod stellifera sit aplanę dicitur) ex circulis artifi  
 cialiter ad inuicem iunctis per virgulam & axē me  
 dium centrum( que terra est) tangentem cōposita.

Axis sphere/est linea per centrū sphere transiens  
 ex vtracę parte suas extremitates ad sphere circēfe  
 rentiam applicans: circa quam sphera/sicut tota cir  
 ca axem carrię qui stipes teres est ) intorquetur &  
 conuertitur/ estq̄ ipsius circuli diametrus. De quo  
 Manlius ita loquitur.

Aera per gelidum tenuis deducitur axis.

Sydereus medium circa quem voluitur orbis.

Man  
lius.

Poli ( qui & cardines & vertices dicuntur) sunt  
 puncta cœli axem terminantia/ ita fixa vt nūq̄ mo  
 ueantur sed perpetuo eodem loco maneant. Et que  
 hic de axe ac polis dicuntur ad octauā spheram re  
 ferenda sunt. Quoniā in presentiarum materialis  
sphera determinationē q̄( vt diximus) octauę sphe  
 re similitudinem habet/ suscepimus. Sunt itaq̄ eo  
 rum duo principales/ unus septentrionalis : qui &  
 Arcticus & Borealis appellat/ alter Australis/ que

A iiiij



## SPHERAE MATE.

*Virgil. f. 10 v. p. 20 v.*  
**Virgil.** *Hic vertex nobis semper sublimis / at illum*  
*Sub pedibus stix atra videt manesq; profundi.*

*Triones f. 11 v. p. 21 v.*  
Nos em in Europa & Asia degetes polū Arctis  
cū ppetuo videmus: q sic dicit ab Arcto vel Arctu  
ro maiore Vrsa q & Calisto & Elice nominatur &  
septētrionales a septē stellis plaustrī/ quæ Triones  
vocant: & sunt minoris Vrsæ/ quam etiam Cyno  
suram appellant. Vnde Mantuanus Baptista.

*In par. Henr. Mariae f. 11 v.*  
**Baptis.** Tu nobis Elice nobis Cynosura/ per altum.  
**Carme.** Te duce vela damus &c. Itē Borealis & Aquilo-  
nicus ab eius mundi parte vēto. Naute stellam ma-  
ris vocare assueuerunt. Huic oppositus est antarcti-  
cus: vñ & nomē sortit. Nam anti græca dictio lati-  
ne cōtra significat. Is & Nothicus & Austronothi-  
cus dicit: atq; a nobis ppter terre circulū qui est de-  
uexus videri nō pōt: sed ab antipodibus ( q̄s esse cō-  
pertū est) cernit. Vbi & orbita annotādum/ quod  
deuexū/rei spherice tumorē & ventrem significat.  
Conuexū yō eius cōtrariū est/ & cōcavitatē notat.  
Sunt præterea duo alij poli ipsius zodiaci/ duos in  
celo circulos arcticū. s. & antarcticū describentes.  
Verū quia zodiaci & arctici atq; antarctici ( qui in  
celo sunt circuli) mentionē fœcimus; ideo capite se-  
quenti de circulis tractabimus.

De circulis cœli. Caput tertium.

Duplices sunt circuli q & segm̄ia ab auctoribus

# RUDIMENTA

dicuntur in sphaera & celo / nō reuera quidē existētes sed imaginabiles: maiores, s. & minores.

Maior circulus is est / qui in cōuexa superficie sphæræ descriptus ipsam in duo æqua diuidit / horū sunt sex. Aequator. s. Zodiacus / Colurus æquinoctiorū / Colurus solsticiorū / Meridianus / & Horizon.

Circulus minor in sphaera est / qui in eadē sphæræ superficie descriptus spheram minime in duo æqua diuidit. Tales sunt quattuor. Arcticus / Cancri / Capricorni / & Antarcticus. Ita summatim sunt decem de quibus debita serie / & primo quidem de maioribus / dicemus.

Aequator (qui & primi mobilis cingulus & æquinoctialis dicitur) est circulus maior spheram in duo æqualia diuidens / secundum quamlibet sui partem ab utroq; polo æque distans: sic dictus quoniam sole ipsum transeunte (quod bis in anno in principio arietis. s. mense Martio / & principio libræ mense septembri contingit) toto terrarum orbe æquinoctium & dies nocti æqualis est.

Aequinoctiū Marcij / arietis / vernale.

Aequinoctiū Septembris / libræ / authumnale:

Zodiacus / est circulus maior æquatorem in duobus punctis quę sunt principia arietis & libræ / diri mens / cuius una medietatū ad Septentrionē / altera vero ad Austrum declinat. Ita dictus vel a zodion quod animal significat / qm̄ duodecim animalia in



Septentrionalis m.

Equinoctialis m.

pol. Australis

Autumnal point

Animal point

Antarctic point

## SPHERAE MATE<sup>RI</sup>

se habet/vel a zoe quod est vita: quia oīm inferiorum vita secundū planetarū motus sub ipsa esse dis-  
guosci. Latini eū signiferū vocāt: q. xij. signa in se  
**Virgil.** ferat. Atq; obliquū circulū. Hinc & Maro insit. Ob  
liquus qua se signorum verteret ordo.

In media zodiaci latitudine circularis linea ipsum  
in duo æqua partiēs & vltro citroq; sex latitu. gra.  
relinquens intelligit: quā eclipticā vocant/ eo quod  
nunq; solis aut lunæ deliquiuū & eclipsis cōtingat  
nisi eorum vterq; sub ea linea in eodem vel oppo-  
sitis gradibus decurrat. In eodem si solare futurum  
sit deliquium. In oppositis vero si ipsius lunę. Et sol  
semper sub ea linea medius incedit/ necq; vltro deui-  
at. Luna autem & cæteri planetarum nunc sub ea  
nunc citra vel vltra expaciati vagantur.

Duo sunt in sphaera coluri/ qui solsticia & æqui-  
noctia distinguunt. Ita a Colon græce quod mem-  
brum significat/ & vris bobus ( quos magnitudine  
Elephantum Cæsar cōmentariorū lib. iij. in Herci-  
nia silua esse ait) dicti/ quoniā sicut cauda/bouis mē-  
brum/ erecta semicirculum & non completum facit  
ita nobis colurus semp̄ imperfectus appetet. Una  
enim medietas videtur/ cum alia sit occultata.

Colurus solsticiorū qui & declinationū dicitur  
est circulus maior per principia cancri & capricor-  
ni/p polos ecliptice parit & polos mundi transiens  
Aequinoctiorū colurus itidem circulus maior est

Cæsar

## RUDIMENTA

per principia arietis ac libre/ & mundi polos trāsiēs;

Meridianus est circulus maior per punctū verticis & polos mundi transiens. Tales in generalibus nostris tam solido q̄z plano decē gradibus ab inuisiōem distinximus. Est autē punctū verticis quod et zenith dicitur in cœlo pūctus directe rei suppositus.


Horizon (quem finitorem quoq; dicūt) est sphēræ circulus maior superius hemispherium (id est di midiu spheræ) ab inferiori diuidens. Estq; is in quē sub diuo consistentiū/circūducentiūq; oculos vide tur obtutus deficere: qui & partem cœli visam a nō visa dirimere cernit. Diuersarū autē regionum varius est horizon: & omnium horizontiū capitū verset/ polus dicitur. Nam tale punctū omniquaq; ab finitore atq; ipso horizonte æque distat. Et hæc de circulis maioribus/ nunc ad minores veniamus.

Circulus arcticus est circulus minor quem polus zodiaci ad motum primi mobilis circa polum mundi arcticum describit.

Antarcticus/ est circulus minor quē alter polus zodiaci circa polum mudi antarcticum causat atq; describit. Nunc upamus autem polum zodiaci de quo etiam superiori capite diximus) punctū vnde cunq; ab ecliptica eque distantem. Sunt enim poli zodiaci axis eclipticæ extremitates. Et q̄ta est maxima solis declinatio (de qua mox plura) tanta est poli zodiaci a polo mundi distantia.



Ex protro finis  
Hoczenit in arce  
minans statim  
qui diuidit sphaeram  
in hemisphaera  
inferiori Videl Cale.



Qua in Virgo  
23 g. in 5<sup>o</sup>  
Non ergo mīs  
statim

## SPHERAE MATE.

Tropicus Cancri/est circulus minor quem sol in principio cancri existens ad motū primi mobilis describit/qui & solsticium estiuum dicitur.

Tropicus Capricorni/est circulus minor quē sol initiū capricorni tenens ad motū primi mobilis describit.Hunc etiam circulum brumę dicimus.

Cæterum quia declinationis mentionē fœcimus ideo annotandum.

Declinationē esse quando sol de equinoctiali ad Tropicum cancri scandit/vel ad capricorni tropicū a nobis descendit.

Ascensionē pro contrario accipimus/qñ. s. a tropicis æquatori propinquat. <sup>ac quis est</sup> Licet a cyros & impro prie a quibusdam dicāt ascendere quando nobis propinquat/ & descendere cū a nobis discedit. Hactenus de circulis iam ad sphærę Theoricā & latiorem quandam graduum/quibus tales ab inuicem distēt speculationem accedamus.

## CAP VT Q VANTVM

De quadam sphærę Theorica se cundum graduum rationes.

Sphera coelestis quinqꝫ ligatur circulis principaliibus vno maiore & quattuor minoribus. Arctico.s. cancri/æquatore/capricorni/& antarctico. E quibus æquator est maior/alij quattuor minores. Hos ipsos vñ potius q̄ intersunt spacia authores Zonas Virgil. vocare asueuerūt. Hinc & Virgilius in Georgi. ait.



# RUDIMENTA

Quinq<sup>ue</sup> tenent cœlum zonæ: quarū vna chorus co  
Semper sole rubens / & torrida semper ab igni est  
Quam circum extremæ dextra lœuac<sup>z</sup> trahuntur  
Cerulea glacie concretæ atq<sup>z</sup> himbris atris:  
Has inter medianas duæ mortalibus ægatis  
Munere concessæ diuum: & via secta per ambas  
Obliquus qua se signorum verteret ordo.

De quare qualitate in sequentibus plura dicent.

Quia vero supius tetigimus q<sup>p</sup> polus Zodiaci cir-  
culum arcticum describat: ideo pro vltiori specu-  
latione sciendum hoc de superiori Zodiaci polo  
(qui in. 66. gradu &. 9. miñ. elevationis situs est at  
q<sup>z</sup> a polo arctico. 23. gradibus ac. 51. miñ. distat) in-

telligi oportere.

Vbi & illud nō ignorandum. Gradum tricesimā Grad:  
signi partem esse. Et signum duodecimam circuli.

At triginta duodecies multiplicata. 360. reddunt.

Quare liquidum euadit qnod gradus iterū tricente  
sima & sexagesima circuli pars esse definiri posset:

Circulum autem antarcticum polus zodiaci infe-  
rior describit: qui in eodem gradu declinationis sis-  
tus est / & æque a polo antarctico distat sicut si pes-  
rior ab arctico.

Tropicū cancri/ eclipticæ reflexio/ siue maxima  
solis versus septentrionem declinatio (quæ ab æqui-  
noctiali ad. 23. grad. &. 51. miñ. sita est) designat.

Tropicū capricorni/ alia eclipticæ reflexio/ siue

Tropas roratus. hinc Tropicū dimidij q<sup>p</sup> ad 100.  
intulos sol vénator reverteretur ad 270.

B

## SPHERAE MATE:

maxima solis versus Austrum declinatio (que ad  
tidem gradus sicut praedicta sita est) describit.

Aript. 90; Submata bis  
23 Gra. 0 51. 0 10  
annibus 42. 0 10  
Distantia inter tropicū cancri & circulum arcti-  
cum est. 92. graduum &. 18. miñ. Totidem etiā gra-  
duum est distantia inter tropicum capricorni & cir-  
culum antarcticum.

Aequatorem media coeli amplitudo: a polis mun-  
di æque distans efficit.

Huc usq; de quinq; zonis & earum ab inuicem  
distantia: consequenter etiam strictim de reliquis  
quædam trademus.

Circulum zodiaci eius ipsius poli ostendunt/ a  
quibus usq; ad tropicos (id est maximas solis decli-  
nationes & solsticia). 92. grad. &. 18. miñ. sunt. Est  
q; zodiaci latitudo ab ecliptica versus utrosq; tro-  
picos sex graduum & in vniuersum. 12. grad.

Sir. Vnū ped. sign.  
In lumenq; in longitudine Jov.  
30. que. 30. si m. 360  
per diuinam numerorum 360  
producatur

Coluros declinationū & ascensionū signant sol-  
sticia & equinoctia/ h[ab]itaculū sub polis mundi sese per  
axem coeli ad angulos rectos spherales interfecant.  
Similiter per equatorē. Sed p[er] zodiacū equinoctio-  
rum coluri vadentes constituūt angulos obliquos  
cum per solsticiorum zodiaci rectos causent.

Circulm meridionalem (mobilem quidem) axis  
idem sub ipsis polis continet.

Horizontis circulū declarat zenith. Ipsum enim  
tanq; polus eius superior existēs ubiq; ab eo æque  
distat. Atq; diuidit idem circulus horizontis / hemis.

# RUDIMENTA

Spherū nostrū ab altero per solis ortū & occasum.  
His vero qui sibz æquinoctiali sunt per utrosqz mū  
di polos. Et distat semper zenith in omni horizon-  
te ab ipsius circūferentia. 90. gradibus qui sunt quar-  
ta pars circuli. Estqz peripheria horizontis quater  
distantiam inter zenith & horizonta superans.

Id demū animaduersione nō est indignum axem  
mundi in materiali sphaera diametaliter ab eiusdem  
polis per centrum mundi (quæ est terra) transire.

Axis vero zodiaci in sphaera nō appetit sed intel-  
ligendus est; & hic axem mundi medium ad angu-  
los impares siue obliquos in centro interscat.

Hoc modo in ipsa mundi fabrica mirabilis series  
& rerū ordo præcipuus esse videtur: cuius imaginē  
veteres astronomi describentes factoris ipsius quā  
tum fieri potuit vestigia (qui omnia in numero pon-  
dere & mensura sœcit) sequuti suut. Nos quoqz ea  
de re tractantes spaciū iniquitate sic exclusi ut ratio  
minutorum nō vel vix possit obseruari / & si obser-  
uaretur etiam tedium cum errore gigneret / a plenis  
graduum annotationibus circulorum positionem  
sumemus. Nam non multum distat inter. 51. min.  
& plenum gradum qui sexaginta minuta continet  
sicuti supradiximus: atqz in libro de sphaera & aliubi  
ab harum rerum studiosis ex amissim declaratur.  
Itaqz in figura / quam pro talium intelligentia hoc  
loco subiungemus / ipsi bini tropici cancri: scilicet

B ii



<sup>360 grad.</sup>  
<sup>90 f + C 360 grad.</sup>




<sup>annop hora</sup>

# SPHERAE MATE.

24. 3. pomer. 25.  
mi. pro. 5. min.  
maxime solis declinatiois ab equinoctiali. 29. gradis  
bus distabunt. Quatuor & poli ipsius zodiaci / siue cir-  
culi arcticus & antarcticus a polis mundi sunt distan-  
tes sup sexagesimum sextum eleuationis gradum siti.

Hic vero sexagesimus sextus gradus  
est secundus secundus deinceps  
lib. simili minuti 19. minuti.

Polus Arcticus



# RUDIMENTA

De quinqz Zonis coelestibus / carūdemq  
 & graduū coeli ad terrā applicatione.

## CAPVT QVINTVM

Hactenus breuissime de nōnullis Geometrię pri  
 cipijs / de sphaera / polis / quinqz zonis / atqe ipſis mū  
 di circulis / rerūqe taliū quadam Theorica diximus:  
 nūc recto(ni fallor) ordine de applicatione horū cir  
 culorū & graduū ad ipsam terrā luscipienda deter  
 minatio venit. Ergo igī sciendū est in terra quinqz

plagas per zonas predicas distingui. vnde & Oui  
 dius in Methamorphosi ait. Elephantopomorib co longo Transformatio seu transfiguratio

Vtqe duæ dext̄ra cœlum totidemq sinistra

Parte secant zone / quinta est ardenter illis

Sic onus inclusum numero distinxit eodem

Cura dei: totidemq plaqe tellure premuntur

Quarū quæ media est non est habitabilis estu

Nix tegit alta duas / totidem inter vtralqe locauit

Temperiemq dedit mixta cum frigore flamma.

Et vt res apertior fiat / quattuor minores circuli

Arcticus / cancri / capricorni / & antarcticus distin  
 minant distinguūtqe quinqz cœli zonas. Propriateratio ma

causa) esto in sequenti figura. a. polus mundi arctio

cus. b. c. circulus boreus. d. e. circulus cancri. f. g. cir


culus capricorni. h. k. antarcticus. l. yo polus nothio

cus. Erit prima zona. s. Borea arctica qe totū inter. b

a. c. interceptū spaciū / que perpetuo frigore rigens

inhabitata est. Secunda erit rotum inter. b. c. & d. e.

B ij



## SPHERAE MATE.

interceptū spaciū temperata atq; habitabilis. Tertia totū inter. d.e.f. g. mediū spaciū feroore male egreq; habitabilis. Sol eī illic scd'm lineā. f.e. (quæ nobis eclipticā designat) assidua volubilitate gyros ducēs suo feroore eā reddit torridā atq; inhabitatā Quarta est totū inter. f.g. &. h.k. spaciū temperata atq; habitabilis / si aquarū vastitas & altera coeli facies id impune sinat. Quinta est totum inter. h.k.i. interclusum spaciū frigore semper horrens atq; inhabitata.

*Habitabilit.*  
Cum autē dicimus aliquā coeli zonā vel habitatā vel inhabitatā / hāc deno iationē a simili zona terrae illi coelesti plage subiecta intelligi volumus: & quando habitatam aut habitabilem dicimus / bene & facile habitabilem. Cum vero inhabitatā vel inhabitabiliē / egre difficileq; habitabiliē intelligimus. Sunt

*De Torrida Zona* em qui exustā torridamq; zonā nūc habitat multi:  
Vt q Chersonesum aureā incolūt / vt Taprobanenses / Aethiopes: & maxima pars terrae semp incognitae nup ab Americo Vespucio repte. Qua de re ipsius quattuor subiungentur nauigationes ex Italico sermone in Gallicū / & ex gallico in latiunm versę.

Itaq; sciendū quodq; vt & subsequēs indicat figura) prima zona q polo arctico proxima est. 23. gradus latitudinis &. 51. miñ. habet. hoc vnde a polo in illis Secunda que antarctica atq; illi ipsi par est / totidē: Tertia temperata. 22. &. 15. miñ. Subtrahit a 90. dias extensio  
Zonas: 20. 15. + 2. 5. = 18 mi.


# RUDIMENTA

## Quarta quæ pars est/totidem:

**Quinta** yō torrida & media gradus: 97. & 92; mi.  
Sed horum quendam typum ponamus.

Sed horum quendam typum ponamus.

# Polus Arcticus



B 通

SPHERAE MATE:  
CAPVT SEXTVM  
De paralellis.

*Anno 1570*  
Paralelli (qui ab Almucanthatrat dicuntur) sunt circuli vel lineæ quoquo versus / atque ex omni parte æquedistantes / & nunquam si possent etiam in infinitum protrahi concurretes. Qualis est in sphaera æquator cum alijs quattuor circulis minoribus. Nō quia quantū primus a secundo / tantum secundus a tertio distet: nam hoc falsum est: vt ex præcedentibus liquet: sed quilibet duo circuli simul iuncti secundum quamlibet sui partē æque ab inuicē sint distantes. Non enim est æquator ex una parte altero tropicorum quæ ex alia vicinior aut distantior / cum omnibus quacumque a tropicis sicut prædictimus . 23. gradibus & . 51. minutis distet. Simili modo de tropicis ad duos extremos dicendum est: quorum uter ex omnibus sui partibus ab utroque . 22. gradibus & . 18. minutis distant.

Licet vero possent paralelli ad libitum cu[m] sibet distantes describi nobis tamen pro facilitiori supp[er]tatione conuenientissimum vi[de]rum est (quod & ipsi Ptholomeo placuit) vt tā in solida quæ plana Cosmographiae generalis descriptione ipsos tot gradibus ab inuicem secereremus / quot sequens formula ostendit. Cui etiā figura subiungetur in qua parallelos per terrā utrimque ad spheram coeli protrahemus.

Paralelli ab equat.	gradus coeli	Horæ dies rum ma.	Quot milli- fa.gra.vuuſ
21 Diatiles 8	63	20	28. $\frac{1}{2}$
20	61	19	
19	59	18	23. $\frac{1}{2}$
18	56	17 $\frac{1}{2}$	$\frac{1}{2}$
17	52	17	37. $\frac{1}{2}$
16 Diarhip. 7	51. $\frac{1}{2}$	16. $\frac{1}{2}$	20. $\frac{1}{2}$
15 Diabor. 6	28. $\frac{1}{2}$	16	22. $\frac{1}{2}$
14	25	15. $\frac{1}{2}$	22
13	23. $\frac{1}{2}$	15. $\frac{1}{2}$	25
12 Diarho. 5	20. $\frac{1}{2}$ . $\frac{1}{3}$ . $\frac{1}{2}$	15	27
11	38. $\frac{1}{2}$ . $\frac{1}{2}$	12. $\frac{1}{2}$ . $\frac{1}{2}$ .	28. $\frac{1}{2}$
10 Diarho. 8	36	12. $\frac{1}{2}$	50
9	33. $\frac{1}{3}$	12. $\frac{1}{2}$	
8 Diaalex. 3	30. $\frac{1}{3}$	12	52
7	27. $\frac{1}{2}$ . $\frac{1}{3}$	13. $\frac{1}{2}$ . $\frac{1}{2}$	
6 Diazienes. 2	23. $\frac{1}{2}$ . $\frac{1}{3}$	13. $\frac{1}{2}$	
5	20. $\frac{1}{2}$	13. $\frac{1}{2}$	57
4 Diamero. 1	16. $\frac{1}{3}$ . $\frac{1}{2}$	13	
3	12. $\frac{1}{2}$	12. $\frac{1}{2}$ . $\frac{1}{2}$	
2	8. $\frac{2}{3}$ . $\frac{1}{2}$	12. $\frac{1}{2}$	
1	8. $\frac{1}{3}$	12. $\frac{1}{2}$	59
Aēqtor a polis ēq̄ distās	12. cōtinue	60	
1	8. $\frac{1}{3}$	12. $\frac{1}{2}$	59
2	8. $\frac{2}{3}$ . $\frac{1}{2}$	12. $\frac{1}{2}$	
3	12. $\frac{1}{2}$	12. $\frac{1}{2}$ . $\frac{1}{2}$	
2 Diameroes.	16. $\frac{1}{3}$ . $\frac{1}{2}$	13	
5	20. $\frac{1}{2}$	13. $\frac{1}{2}$	


Climata cū gradib⁹ paralellor⁹ simul horas

Insinuat numeris ista figura suis:

Para. & cli.	Gradus	Hore	Milliaria
6 Antidiasienes	23. $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{3}$	13. $\frac{1}{2}$	52
7	27. $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{6}$	13. $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{6}$	

Et ita deinceps versus Antarcticū polū. Quod  
& subsequens figura cōmonstrat.

polus Atticus



# RUDIMENTA

De climatibus caput. viij.

Licet clima proprię regio interpretetur/ hoc tam  
men loco spaciū terrę inter duas eque distātes ap-  
pellatur/in quo porrectissime diei ab initio climatis  
usq; ad finem dimidiæ horæ variatio est. Et quottū  
aliquod clima ab eequatore fuerit/tot semihoris lon-  
gissima eius loci dies superat diem nocti æqualem.  
Suntq; ipsorum septem gemina: q;ñnis ad austrum  
nō sit septimum adhuc lustratum. Sed Boream ver-  
sus Ptholomeus terram septem semihorarū spacio  
hospitalem & habitabilem inuenit: que septē clima-  
ta ab insigni aut vrbe/aut flnuio/ aut monte sua no-  
mina sunt sortita.

Primū dicitur Dia Meroes/a dia quod apud grecos per significat/& casu patrio iungit. Atq; a Mer-  
oe q; est Affricę ciuitas in torrida zona citra equa-  
torem. 16. gradibus sita/in quo paralello & ipse Ni-  
lus esse inuenitur. Eius/ & subsequētiū etiā initiū  
medium & finem atq; maximę diei in quolibet ipo-  
rum horas generale nostrū (pro cuius intelligentia  
hæc scribimus) tibi liquido ostendet.

Dia Sienes a Siene Aegipti vrbe/ quod est pro-  
vinciae Thebaidos principium.

Dia Alexandrias. Ab Alexandria insigni vrbe  
Affricę Aegipti Metropoli: quam Alexander ma-  
gnus condidit: de quo dictū est a poeta. Vnus pels-  
ico iuueni non sufficit orbis.

Climata: 7

## SPHERAE MATE.

- 4 Dia Rhodon/ a Rhodo Asie minoris insula: que  
& sui nominis in ea sitam nostra tempestate clarā  
Rhos ciuitatem habet/ fortiter Thurcarum efferos bellis  
dos cosq; impetus sustinentem/ atq; profligantem ge-  
nerosissime.
- 5 Dia Rhomes: ab urbe Europe notissima/ inter Ita-  
licas maxime clara/ & insigni olim gentiū domitri-  
ce/ atq; orbis capite/ nūc patris patrū maximī sede.
- 6 Dia Borischenes/ a magno Scytharū fluvio qui  
est quartus ab Histro.
- 7 Dia Rhipheon/ a Ripheis mōtibus qui in Sarmā-  
rica Europa insignes sunt ppetua niue carentes.  
Ab his insignibus locis per qnē ferme climatum  
lineq; mediæ transeunt septem climata (quæ Ptholo-  
mēus posuit) sua sortiuntur nomina.  
Octauū Ptholomēus non posuit/ cum illud terre  
(quodeuncq; est) ipsi incognitum a nuperioribus lu-  
stratū sit: & dicitur Diatyles/ quod ipsius principiū  
(qui est paralellus ab æquatore. 21.) rectissime per  
Tylen sit ptenus. Est antē Tyle septentrionalis in  
sula/ de qua Maro noster. Tibi seruiet vltima Tile.  
Virgil. Ethæc de climatibus ab æquatore septentrionem  
versus. Pari modo dicendū est de eis que sunt vltra  
æquinoctialē ad Austrū/ quorū sex contraria nomina  
habentia sunt lustrata et dici possunt antidia Mero-  
es/ antidia Alexandrias / antidia Rhodon/ antidia  
Rhemes/ antidia Borischenes: a græca pticula anti-

## RUDIMENTA

que oppositū vel contra denotat. Atq; in sexto cli-  
mate Antarcticū versus / & pars extrema Africæ  
nuper reperta & Zamziber/ Iaua minor / & Seula  
insulæ / & quarta orbis pars( quam quia Americus  
inuenit Amerigen/ quasi Americi terrā/ siue Ame-  
cam nuncupare licet) sitæ sunt. De quibus Australi rige-  
bus climatibus hæc Pomponij Mellæ Geographi Pōpo:  
verba intelligenda sunt/ vbi ait. Zone habitabiles Melæ  
paria agunt anni tempora/ verum non pariter. An-  
tichthones alteram/nos alteram incolimus. Illius si-  
tus ob ardorē intercedētis plage incognitus/ huius  
dicendus est. Vbi animaduertendum est quod cli-  
matum quodq; alios q; aliud plerumq; foetus pro-  
ducat/ cum diuersæ sunt naturæ/ & alia atq; alia sy-  
derum virtute moderentur. Vnde Virgilins.

Nec vero terre ferre omnes omnia possunt  
Hic segetes/ illic veniunt fœlicius vuq;  
Arborei foetus alibi/ atq; iniussa virescunt  
Gramia. Nōne vides croteos vt Tmolos odores  
India mittit ebur: mittunt sua thura Sabæi  
At Calybes nudi ferrum: viros aq; pontus  
Castorea. Eliados palmas Epiros equarum &c.

Virgil.

## CAPVT OCTAVVM

De ventis.

Quoniā in superioribus ventorū aliquando in-  
cidenter memores suimus( cū s. polū Boreū/ polum  
Nothicū/ atq; id genus alia diximus/ & ipsorum

C

# SPHERAE MATE.

cognitio nō nihil momenti / īmo magnā vtilitatē  
ad Cosmographiam habere dignoscitur. ideo hoc  
subsequenti capite quēdā de ventis (qui & spiritus  
& fatus dicuntur) trademus. Est igitur ventus (vt  
a philosophis definitur) exhalatio calida & sicca la-  
teraliter circa terram mota &c.

Quia vero sol secundū binos tropicos / & ipsum  
ēq̄torē triplicē ortū atq̄ occasum / estiualē. s. eqno-  
ctialē / achyemalē seruat / & meridiei sūlīterq̄ ipsius  
septētrionis vtrinq̄ sint latera / quare q̄libet p̄priū  
ventū habēt: ideo sumatim. xij. sunt vēti / tres orien-  
tis / tres occidētis / totidē meridiei / & medie noctis  
totidē: ex q̄bus q̄ttuor q̄ in sequēti formula mediū  
locū tenebūt principiōres sunt / alijs minus princi-

Oriens      Occidens.

Collat.	Trop. Canc.	Cecias	Chorus
Medij.	Aequator.	Subsolamis	Fauoni q̄ 85 Zephī.

Vento- rum for- ma.	Collat.	Trop. Cap.	Eurus qui & Vultur.	Affricus q̄ & Lybs
---------------------------	---------	------------	------------------------	-----------------------

	Collat.	Meridies	Media nox
		Euronothus	Septētrio
Medij		Auster/q̄ & Nothus	Aquilo qui & Boreas.
Collat.		Lybonothus	Trachias q̄ & Circius.

# RVDIMENTA

Poetē tñ minus principales( q & collaterales dis-  
cunt) p principalioribus ex licetia( vt suus sibi mos  
est) usurpare consueuerunt. Hinc & Ouidius ait.  
Ouidi.  
Eurus ad auroram Nabathēaq; regna recessit  
Persidaq; & radīs iuga subdita matutinis.  
Vesper & occiduo quæ littora sole tepescunt  
Proxima sunt Zephiro: Scythia/ septēq; Triones  
Horriser inuasit Boreas/ contraria tellus  
Nubibus assiduis/pluuioc; madescit ab austro:  
Est autē subsolani aura saluberrima/ quæ a sole  
purior & subtilior alijs efficitur.

Zephyrus caloris & humoris temperiem habēs  
montium pruinās resoluit. Vnde est illud Virgilij Virgil.  
Liqui& putris Zephiro se gleba resoluit.

Austri flatus crebro tempestatū/procellarū/atq;  
himbrium presagus est. Quare & Nazo infit. Ma Ouidi.  
didis Nothus euolat alis.

Aqlo suo rigore aq; ligat/atq; cōstringit. Virgil. Virgil.  
Et glaciis <sup>alij</sup> hyems aquilonibusasperat vndas. Gallina

His de ventis Gallinariū nostrū multæ doctrine rius.  
virū sequētes quattuor edere versiculos memini.  
Eurus & Eoo flat Subsolanus ab ortu.  
Flatibus occasum Zephyrusq; fauonius implet:  
Auster in extremis Lybiq; & Nothus estuat oris:  
Sudificus Boreas Aquiloq; minatur ab axe.

Et licet venti septentrionales sint natura frigidis/  
nihilo tamen minus quando torridam zonam per-

C ï

# COSMOGRAPHIAE

transeunt mitigantur: sicut & de Austro torridam  
Zonam antea q̄ ad nos veniat transeūte/comper-  
tum est. Quod sequentibus v̄ ersibus insinuatur.  
Quocq; loco prodit gelidus fuit Auster/ & arctis  
Cogit aquas vinclis/at dum per torrida flatu  
Sydera transierit/ nostras captandus in oras  
Commeat: & Boreq; seuissima tela retorquet

At contra Boreas nobis grauis/orbe sub imo  
Fit ratione pari moderatis leuior alis.

Cætera mox varios qua cursus flamina mittunt  
Immutant proprię naturam sedis eundo.

Hucusq; de ventis dictū sufficiat/ponamus nunc  
hāc omniū figurā vniuersalē: in qua sint poli/ axes  
circuli cū maiores/tum etiam minores/oriens/occis-  
dens/ quinq; zonæ/gradus lōgitudinis/ latitudinis  
tam ipsius terre q̄ cœli/paralelli climata venti &c.



## CAPVT NONVM. De quibusdam Cosmographiæ rudimentis.

Omnē terrę ambitū ad cœli spaciū puncti obti-  
nere rationē astronomicis demonstrationibus con-  
stat. Ita vt si ad coelestis globi magnitudinem con-  
seratur/nihil spaciū prorsus habere iudicet. Et huius  
quidem tam exiguę in mundo regionis quarta fere  
portio est que Ptholomeo cognita a nobis anima-  
tibus incolitur. Atcq; in tres partes hactenus scissa  
fuit. Europam: Africam/ & Asiam.

Hennius Glareanus Helveticus auctor. Salutem


Sagittum hanc granditer levior, dum amnis omni ex parte expeditus est. Absimilis Indio morta librassem: dicitur maximus quod auctor edidit entibus eius inuenio. Totius huius habitabilis telluris formam: Etiam ipse auctor id in maximo spatio compinxerat in ut in rotunditate hoc locum habet regimur: Ego tunc ut Vix considero et tibi: docta huius introductio insuper ne fine suo rarerem. Tenuis habitabilis formula: Vix ipse in maximo immobile compagib; tra nos proportionabilitate hoc minima in spacio compi- ximus: Tres mundi partes: et quarta: America terra nupta multata: regentes pampas et Sanapas: roros velim ne mutata roros: ita fulig; roros hoc desin: alii securi venient: In raga Glareana anima



*P*roclus hoc Orbis habitabilis medicinae et spiritus *P*otentio: pristinis Geographis omnino ignota  
A imperiis compedit: A hiscivis quippe metuens h[ab]et: que est ad 270 gradum usq[ue] ad primi graduum  
autem impudicacionis: ex insulis formandas. Et propter eam formula omnino apposita ista qua poterit  
Quale sit h[ab]et: 2 analogiam & anop[er]a quae sunt: q[ui]a: Vnde ad Orientem: aptius ad orientem  
sunt retinens. Quia omnia si in Globu[m] *C*onplanis em id laboriosum? *V*idetur  
et ergo in omnia in sponte  
q[ui]d autem atque sponte  
Globus



# SEPTENTRIO



Propositum est hoc libello quandam Cosmographie introductione scribere: quam nos tam  
in solido & piano depinximus. In solido quidem spacio exclusi strictissime. Sed latius in piano  
vbi sicut agrestes signare assueuerūt / & partiri limite campum / ita orbis terrarū regiones præ-  
cipuas dominorum insignijs notare studuimus. Et (ut ab ea in qua sumus parte incipiamus)  
ad Europę meditullium Rhomanas aquilas (quę regibus Europe dominantur) posuimus atq; clave summi patris patrū in signi ipsam fere Europam (quę Rhomanā ecclesiam pfitetur) cinxi-  
mus. Aphricam pene omnē & Asię partē signauimus lunulis quod est insigne summi Babilo-  
nię Soldani quasi totius Egypti & partis Asię domini. Asię vero partem quę minor Asia dici-  
tur crocea coloris cruce iuncto chalybe circumdedimus quod est signum Thurcorum Soldani  
Scythiam intra imaum maximū Asię montem & Sarmaticam Asiaticam notauimus anchoris  
quas magnus Tartarus pro insigni habet. Crux rubea presbyterum Ioannem qui & orientali  
& meridionali Indię præst atq; in Biberith sedem tenet representat. Deniq; in quartam terrę  
partem per inclitos Castilię & Lusitanię reges repertā eorundem ipsorum insignia posuimus:  
Et quod non est ignorandum vadosa maris littora (vbi naufragia timentur) imaginibus crucis  
signauimus: sed hæc iam missa facientes.

16

## HARVIMENTA

Europa ab occidente mari Atlantico / a septē.  
Britannico / ab oriente Thanai / Meotide palude: &  
pōto: a meridie mari mediterraneo clauditur / habet  
qz in se Hispaniam / Galliam / Germaniā / Rhetiam  
Italianam / Græciam / & Sarmatiā. Sic dicta a filia re-  
dis Agenoris eius nominis: quę dum virginibns Ti-  
rijs comitata in marino littore puellati studio lude-  
ret & canistra floribus stiparet / ab Ioue in thaurū  
niueum verso rapta illius tergo insedisse / & p e quo  
ra ponti in Crētam delata terræ contra iacenti no-  
men dedisse creditur.

Affrica ab occidente mari Atlantico / a meridie  
oceano æthiopico / a septentrione mari mediterrae-  
neo / & ab ortu Nili flumine terminatur. Ea in se cō-  
plectitur Mauritanias Tingitanam & Cœsariensem  
Libiam interiorem / Numidiam (quā & Mapaliam  
dicunt) minorē Africā (in qua est Chartago Rhō-  
mani imperij olim pertinax æmula) Cyreneicam /  
Marmaricam / Lybiam (quo etiā nomine tota Affri-  
ca a Libe rege Maurithanię appellatur) æthiopiā in-  
teriorē / ægyptum &c. Et dicitur Affrica quod frigo-  
ris rigiditate careat.

Asia (quæ cæteras magnitudine & opībus lon-  
gissime vincit) ab Europa Thanai fluuio / atqz ab  
Affrica Ischmo (qui in australē plagā distentus Ara-  
bię & ægypti sinum perscindit) secernit. Hæc prin-  
cipalissimas regiones habet Bithiniā / Gallatiā /

# COSMOGRAPHIAE

Capadociam/Pamphiliam/Lidiā/Ciliciā/Armenias maiorem & minorem. Colchiden/Hircaniam Hiberiam/Albaniam: & præterea multas quas sinqillatim enumerare longa mora esset. Ita dicta ab eius nominis regina.

Nunc vero & hæc partes sunt latius lustratae/ & alia quarta pars per Americū Vesputium( vt in sequentibus audietur) inuenta est: quā non video cur quis iure vetet ab Americo inuentore sagacis ingenij viro Amerigen quasi Americi terram/sive Americam dicendam: cum & Europa & Asia a mulieribus sua sortita sint nomina. Eius sitū & gentis mores ex his binis Americi nauigationibus quæ sequuntur liquide intelligi datur.

Hinc in modum terra iam quadripartita cognoscitur: & sunt tres primæ partes cōtinentes: quarta est insula: cum omni quācū mari circūdata cōspicitur. Et licet mare vnum sit quēadmodum & ipsa tellus: multis tamen sinibus distinctum/ & innumeris repletum insulis varia sibi noīa assumit: quæ in Cosmographiæ tabulis conspiciuntur: & Priscianus in tralatione Dionisij talibus enumerat versibus.

Circuit Oceani gurges tamē vndiq; vastus

Qui q̄uis vnuſ sit/plurima nomina sumit.

Finibus Hesperijs Atlanticus ille vocatur

At Boreq; qua gens fuit Arimaspa sub armis

Dicit ille piger neenon Satur, idē mortuus est alijs;

Dinu ille piger nec non Samninus Idem

Mormo est alijs minimo quo lunū solis

postulatur: nōdū radios nam fissipar eritis.

Nubilus: Cū rassis pūnti: minimeq; grandi

Ames  
tico

Priscia:

Oceanus opum  
est. At in part  
bus appellatur  
figmā ampi

Arimaspis populi  
Systole Europe  
Vox aglōlētē  
Cū m. Gryphis rotundus

Vetus Priscianus.

Mormo est alijs minimo quo lunū solis

postulatur: nōdū radios nam fissipar eritis.

Nubilus: Cū rassis pūnti: minimeq; grandi

# RVDIMENTA

Vnde tamen primo concendit lumine Titan **Orits** Mare  
Eouinc vocant atq; Indum nomine pontum  
 Sed qua deuexus calidū polus excipit austrum **Meri**  
Aethiopumq; simul pelagus Rubrūc vocatur  
 Circuit oceanus sic totum maximus orbem  
Nominibus varijs celebratus.

Persecat Helperiam primus qui porgitur vndis  
Pamphiliūc latus Lybię prætendit ab oris

Hic minor est reliquis/ maior quē Caspia tellus

Suscipit intrantem vastis aquilonis ab vndis

Nomine Saturni quod **Tethys** possidet echor

Caspis iste sinus simul Hircanusq; vocatur

At duo qui veniunt australis ab equore ponti

Hic supra currens mare Persicus efficit altum

E regione situs/ qua Caspia voluitur vnda.

Fluctuat ast alter Panichęc littora pulsat

Euxini contra pelagus protentus in austros.

Ordine principiu capiens athlantis ab vnda

Herculeo celebrant quam mete munere Gades;

Cœliferaſq; tenet stans athlas monte columnas

Est primus vastis qui pontus Hibericus vndis

Diuidit Europen Lybia communis vtricq;

Hinc atq; hinc statuē sunt: ambe littora cernunt

Hæc Lybies hæc Europeſ aduersa tuendo.

Gallicus hunc gurges: qui Celtica littora pulsat

Excipit: hunc sequitur Liguri cognomine dictus

Qua domini rerum terris creuere latinis.

Ad petram leuen aquilonis ab axe reductus

Eoum  
Indicū  
æthios  
picum;

Paphis  
licum;

Hircas.  
Persiū

Athlan-  
ticum.  
Hercu-  
leum.

Gallicū  
Ligurī

# COSMOGRAPHIAE

Quæ freta Sicaniæ concludit littore curuo  
Insula sed Cymnos proprijs pulsatur ab vndis.

Mare Intra sardonium pelagus Celtumq; refusis.

Thyrre Inde salis tumidus Tyrrheni voluitur cestus

Siculū Ad partes vergens australes/ excipit istum

Sicaniæ gurges solis deflexus ad ortus:

Qui procul effusus Pachynis tenditur oris

Ad Creten summā (quæ prominet e quore) rupem:

Qua Gortyna potens medijs qua Phœstos in aruis

Arietis/hanc rupem/ similantem vertice frontem

Pro merito graj Criu dixere metopon.

Hoc mare Gargani concludit lapygis ora:

Adriati Illinc incipiens extenditur Adria vastus:

cum Ad Boream penetrans pe lago solemoq; cadente:

Ioniū Ionijs pariter sinus hic perhibetur ab orbe:

Diuidit & geminas diuersis partibus oras:

Quas tamen extremas cōiungit terminus unus

Illicram partē protenditur Illyris alma:

Post hanc Dalmatię populoq; martia tellus

Ad Iguam Ausonię porrectus continet Isthmos

Quæ tria circūdant maria vndiq; littore curuo

Tyrrhenum/Siculum/necnō simul Adria vastus

Finibus at proprijs exceptant singula ventos

Tyrrhenum Zephyro: Siculum sed tundit austro:

Adria succurrens Eoo frangitur Euro.

At post Sicaniam tractu diffunditur alto

Syrtis Ad Syrtim pelagus/ Lybicis quæ cingitur oris:

# RUDIMENTA

*f. pelagus*  
**Maiores postq; minor excipit: equora longe**  
*f. Urtis sinus et*  
**Atq; sinu gemino resonantia littora pulsant**  
**Finibus a Siculis Creteum tenditur equor**  
**Ad solis veniens ortus Salmonida poscens**  
*Samonem pro  
morsum litora piso. Vom. / n.*  
**Dicitur Eous qui Crete terminus esse.**

*f. pelago*  
**Post hanc geminū mare vastū fluctibus atris:**  
**Fluctibus Hismarici Boreq; quod tundit atris.**

*f. mar. Utq; ad*  
**Quod ruit aduersus celsē de partibus arcti**

*A phar. infusa*  
**Quod prius est phariū phibēt: hoc littora tāgit**

**Præcipitis casu montis: post vnda secunda**

*f. Sidoniū vnde*  
**Sidoniu est pelagus: penetrat qua gurgite pontus Sidoniū**

*ad Syrus portus*  
**Ilicus arctoas ad partes æquore vergens**

*f. mar. Utq; ad*  
**Non longe rectus. Cilicum nam frangitur oris.**

*om. locum*  
**Hinc Zephiros poscens veluti draco flectit vndis**

*f. mar. Utq; ad*  
**Quod iuga montiuagus vastat: siluasq; fatigat:**

*f. mar. Utq; ad*  
**Partibus extremis Pamphilia clauditur isto:**

*f. mar. Utq; ad*  
**Atq; Chelidonię rupes cinguntur eodem**

*f. mar. Utq; ad*  
**At procul hunc zephyrus finit Patareide summa.**

*f. mar. Utq; ad*  
**Post hæc arctoas ad partes aspice rursus**

*f. mar. Utq; ad*  
**Aegeum superat qui fluctibus equora cuncta:**

*f. mar. Utq; ad*  
**Dispersas vasto qui gurgite Cycladas ambit**

*f. mar. Utq; ad*  
**Terminat hunc imbroas pariter Tenedosq; coercēs**

*f. mar. Utq; ad*  
**Angusta trahitur/qua fauce Propontidis vnda**

*f. mar. Utq; ad*  
**Asia: quam supra populis distenditur amplis**

*f. mar. Utq; ad*  
**Ad Notiam partem:qua latus ducit Isthmos:**

*f. mar. Utq; ad*  
**Threicius sequitur post Bosphorus ostia ponti: bospho**

*f. mar. Utq; ad*  
**Hoc nullum perhibent terras angustius orbis sus.**

*f. mar. Utq; ad*  
**prīmū pñibus nullam q;ne frēdū orbus / clivis mētū stras. angus  
 fñus thor pñua Bosphoro Thraso: mñps (Teste Pamponio) D  
 yungq; modis sñm Asiam ab Europa dimid. Vide p. tr. g. Euro.**

Mare

Creteū

Phariū

um

Vide p. 1. A. 2.

Aegeū

# COSMOGRAPHIAE

S. l. Bosphorus Thaur. Symples gades Esse fretum dirimens: hic sunt Symplegades arcte  
<sup>ht Cyane & Syndromachlo dimpt.</sup>

<sup>alma 19 grad.</sup> <sup>Eusim</sup> Panditur hic ponti pelagus Titanis ad ortus

Quod petit obliquo Boream solemcꝝ meatu

Hinc atqꝫ hinc medio percurrunt equore colles:

Vnus qui veniens Alig de parte Carambis

Dicitur australi: sed contra finibus alter

Prominet Europe hunc c̄riu dixere metopon.

Ergo conueniunt aduersi gurgite tanto

Distantes: quantū ternis transire diebus

<sup>Dicit annis 2000  
anno 2000 Theophilus  
ad m̄ refm phlo  
li. 1. mag. ep. 1000</sup> Eualeat nauis; binam sic equore pontum

Aspicias similem cornu quod flectitur arcus

<sup>Prodiit. Sub 8000  
Anno 500 m̄cfa</sup> Neruo curuati distento dextera neruum

Assimilat: recto trahitur nam linea ductu

Extra quā Boream quo scandit sola Carambis

Sed formam cornu geminatis flexibus edit

Littus: quod pontum cingit sub parte sinistra

Meotis In quam Meotis penetrans aquilonis ad axes

<sup>2000</sup> Quam Scythie gentes circundant vndicꝝ ripis

Et matrem ponti perhibent Meotidis vndam.

Scilicet hic ponti vis exit gurgite multo

Thaur. Cimmerii torrens per Bosphoron hic vbi thaurū

Cimmerij gelidis habitant sub finibus imum

Hec maris est species splendens hec forma profund.

Est autē vt pdiximus mare plenū insulis e qbus  
maxime & principaliores iuxta Ptholomeū hec sunt:

Taprobana in mari Indico sub equatore

Albion quæ & Britannia & Anglia

# RUDIMENTA

Sardinia in mari mediterraneo

Candia quæ & Creta in sinu Aegeo:

Selandia In Ortu Sennario Qua prole. Selandia nominata Regia Danie regis Seldi

Sicilia in mari mediterraneo

Corfycia

Ciprus

Extra Ptholomēum

Madagascar in mari Prasodo

Zamzibar

Iaua in Oceano Indico orientali

Angama

Peuta } In oceano Indico

Seula

Zipangri in Oceano occidentali

He sunt ingentes quas cingit Tethyos vnda

Insulæ adhuc alię diuersis partibus orbis.

Diuersę plures fama latuere minores

Auris difficiles nautis vel portubus aptę

Quarū nō facile est mihi promere noīa versu:

Cæterū vt vnius loci ab altero distantia cognoscere possis poli eleuatio tibi cū primis cōsideranda venit. Annotandū igit̄ paucis quod (vt ex superiori bus liquet) viuētibus sub paralello eqnoctiali vterque polus in horizonte est. Eunti autē ad septentrio nem eo magis subleuat̄ polus quāto plus aliquis ab equatore discesserit. Quæ poli eleuatio regionum & locorum ab æquatore distantiam demonstrat:

Prisia;

D ij

# COSMOGRAPHIA E

**Prolo:** Est em̄ tatus loci tractus ab equatore cuius mēsurā  
**quiū** scire desideras/q̄nta est eleuatio poli ad zenith eius  
 dē. Ex quibus milliarū numerus facilis cognitu euā  
 dit/dū eundē p̄ numerū eleuationis poli multiplicā  
 ueris. Verū tñ non sunt scđm Ptholomei sententia  
 milliaria a círculo eq̄noctiali ad arcton ubiq̄z gētiū  
 equalia. Nā primo equatoris gradu vscq̄ ad duode  
 cimū/glibet graduū sexaginta Italica milliaria con  
 tinet q̄ faciūt. 15. Germanica. Cōmuniter em̄ q̄ttuor  
 Italica pro vno Germanico reputant̄. Et a. 12. gradu  
 vscq̄ ad. 25. quilibet. 59. milliaria facit/quæ sunt Ger  
 manis. 12.  $\frac{1}{2}$ .  $\frac{1}{2}$ . Atq̄ vt res fiat apertior/ ponemus  
 formulam sequentem.

Gradus	Gradus	Millia. Ital.	Mil. Ger:
1	12	60	15
12	25	59	$14 \frac{1}{2} \frac{1}{4}$
25	30	54	$13 \frac{1}{2}$
30	31	50	$12 \frac{1}{2}$
31	41	41	" $\frac{1}{4}$
41 usq; ad	51 fariūne	40	10
51	51	32	8
51	63	28	1
63	66	26	$6 \frac{1}{2}$
66	10	21	$5 \frac{1}{4}$
10	80	6	$1 \frac{1}{2}$
80	90		0

Aequa  
tor.  
Tropi  
cus.

Circu:  
Arcti.  
Polus  
Arcti.

# RUDIMENTA

Et ita quoque ab equinoctiali versus polos tā an-  
tarcticum q̄ arcticum gradū latitudinis cōtinen-  
tia variatur. Quod si scire volueris / quot ab uno  
loco ad alium milliaria sint / perpende diligenter in  
quibus gradibus latitudinis sint talia loca / & quot  
gradus medient / deinde vide in formula superiori  
quot milliaria talis gradus habeat / & multiplica nu-  
merū milliariū per numerū medioꝝ graduum / atqꝝ  
milliarum numerus resultabit: quæ cum Italica fue-  
rint diuidas per quattuor / & Germanica habebis.  
Hęc p inductione ad Cosmographiā dicta sufficiat.

Notes:

De hoc Marini lib.  
de pto. li. primo  
pens. p. rono

Phtolo-  
meus.

D ij

## APPENDIX


uas temporis nostri/traditiōes magis intendere. Et ita quidē temporauimus rem: ut in plano circa nō uas terras & alia quępiam Ptholomęum: in solido vero quod piano addit̄ descriptionē Americi subſe quentem ſectati fuerimus.

## APPENDIX

Annectamus adhuc superioribus antea q̄z receſptui canamus eleuationis poli atq̄z ipsius zenith ac cētri horizontis & climatū quadrantē velut pareragon & quoddam corolariū. Quamuis ſi recte conſiderauerimus is quadrans de quo dicemus non ſit ad has res impertinēs. Cosmographū em vel maxi me poli ſupra caput eleuationē/zénith/& terre cli mata cognoscere oportet. Formaſ itaq̄z idem qua drans hoc pacto. Diuide quēcunq̄z circulum in par tes quattuor/ita quod due diametri ſe in centro ad angulos rectos inter ſecent: quarū vna (quæ altera ſui parte pinnulas habet) axem polorū mundi/ & al tera equatorem ſignificabit. Deinde eā partē circuli que est inter ſemiaxem pinnulas habentem/ & alte ram ſemidiameſtrum in partes. xc. diuidas/ atq̄z op ſitā in totidem/figaſq̄z perpendiculū ad centrum & paratus erit quadrans. Cuius hic eſt uſus. Verte ēū ita ut p pinnularū foramina polū direcťe videas & ad qd' clima atq̄z in quē gradū ppendiculū ceciderit/ eo ipſo climate & eleuationis gradu tua regio/ qui netā zenith atq̄z horizontis centrū exiſtit.

Quadrans  
formatio

Quadrans  
Uſus



Hactenus exequuti capita pposita/ hic ipsas ion  
ginq̄s expaciatiōes sequēter introducamus Vesputij  
singulor̄ factor̄ exitū circa institutū tradentes:

Finis introductionis



anno dicitur  
mense dicitur  
septembris

anno dicitur

QVATTVOR AMERICI  
VESPVTH NAVI  
GATIONES

Eius qui subsequentē terrarum  
descriptionē vulgari Gal-  
lico in latinum  
transtulit.



Decastichon ad lectorem:

Aspicies tenuem quisquis fortasse logiam  
Nauigium memorat pagina nostra placens;  
Continet inuentas horas/gentesq; recenter  
Lētificare sua quē nouitate queant.  
Hæc erat altiloquo prouincia danda Maroni  
Qui daret excelsę verba polita rei.  
Ille quot ambiuit freta cantat Troius heros:  
Sic tua Vesputi vela canenda forent.  
Has igitur lectu terras visurus/in illis  
Materiam libra:non facientis opus.

Item distychon ad eundē

Cum noua delectent fama testante loquaci  
Quæ recreare queunt hic noua lector habes?

o Tēλος,

A

Philesius Vogesigena  
Lectori

- Nilus Rura papirifero qua florent pinguia Syro  
Lacus Et faciunt Lunę magna fluente lacus  
Lung. A dextris mōtes sunt Ius/Danchis/ queq; Mascha  
Ius. Illorum æthiopes inferiora tenent  
Dāchis Aphrica cōsurgit quibūs ē regionibus aura  
mascha Afflans cum Libjico feruida regna Notho:  
æthio. Ex alia populo Vulturnus parte calenti.  
Aphri. Indica veloci per freta calle venit.  
Libono Stbiacet hic equo noctis Taprobana circo:  
thus Bassaq; Praſodo cernitur ipsa salo  
Vultur. Aethiopes extra terra est Bassamq; marinā  
Tapro- Non nota e tabulis o Ptholomee tuis.  
bana. Cornigeri zenith tropici cui cernitur hirci  
Mare Atq; comes multe funditor ipsus aquę.  
Praſo. Dextrorsum imenso tellus iacet equore cincta  
Tellus/quam recolit nuda caterua virum  
Pars a- Hanc quem clara ſuū iactat Lusitania regem  
phricę i Inuenit missa per vada classe maris.  
uenta. Sed quid plura: ſitū/gentis moreſq; reperte  
Ameri- Americi parua mole libellus habet.  
ge. Candide syncero voluas hunc pectore lector  
Et lege nō naſum Rhinocerontis habens.

A

o Teodo,

Illustrissimo renato Iherusalem & Siciliæ  
regi/duci Lothoringie ac Barñ. Ame-  
ricus Vespucius humilem res  
uerentiam/ & debitam res  
cōmendationem.

Fieri potest illustrissime rex/vt tua maiestas ma-  
ista temeritate ducatur in admirationem: propterea  
quod hasce litteras tam prolixas ad te scribere hand  
subuerear/ cum tamen sciam te continuo in regni tuu  
consilijs & crebris reipublice negocijs occupatissi-  
mum. Atq; existimabor forte nō mō psumptuosus  
sed etiam ociosus: id mihi muneris vendicans, quod  
res statui tuo minus conuenientes non delectabili,  
sed barbaro prorsus stilo(veluti amusus ab huma-  
nitatis cultu alienus)ad Fernandum Castilię regem  
nominatim scriptas/ ad te quoq; mittā. Sed ea quā  
in tuas virtutes habeo cōfidentia/ & comperta ses-  
quentiū rerū/neq; ab antiquis/ neq; neotericis scri-  
ptrarum veritas me corā t. M. fortassis excusabunt:  
Mouit me imprimis ad scribendum p̄sentiū lator  
Beneuenutus. M.t. humilis famulus/ & amicus me ~~Beneuenutus~~  
us nō p̄cēnitendus/ qui dum me Lisbone reperiret  
precatus est: vt. t. M. rerū p̄ me quattuor profectio-  
nibus in diuersis plagiis mundi visarum/participem  
facere vellem. Peregri em̄ bis binas nauigationes ad ~~mang~~  
nouas terras inueniendas: quarū duas ex mandato  
Fernandi incliti regis Castilię p̄ magnū oceanī sinū ~~Dux in omni~~

A ñ

**D**uo in au<sup>t</sup> occidente versus soeci/alteras duas iussu Manuelis  
**L**usitanie regis ad Austrū. Itaç me ad id negocij ac  
cinxi speras q. t. M. me de clientulorū numero non  
excludet: vbi recordabitur q olim mutuā habueris  
mus inter nos amicitiā tpe iuuētutis n̄e/cū grāma-  
ticę rudimēta imbibentes sub pbata vita & doctri-  
**A**meritus **R**na venerabilis & religiosi fratri de. S. Marco Fra.  
**D**one Lophorus  
**i**n cāde p̄fota **G**eorgij Anthonij Vesputij auunculi mei parit mi-  
litaremus. Cuius auunculi vestigia vtinā sequi po-  
tuissem/alias pfecto (vt & ipē Petrarcha ait) esse  
q̄ sum. Vt cūq̄ tñ sit/nō me pudet esse q̄ sum. Sem-  
per em in ipsa yture & rebus studiosis summā ha-  
bui delectationē. Quod si tibi hę narrationes omni-  
no nō placuerint. dicā sicut Plinius ad Męcenatē  
scribit. Olim facetijs meis delectari solebas. Et licet  
M. t. sine fine in reipublicę negocijs occupata sit: ni-  
hilominus tñ tpis qñq̄ suffuraberis: vt has res q̄  
uis ridiculas (quę tñ sua nouitate iuuabūt) perlegere  
possis. Habebis em hisce meis l̄ris post curarum fo-  
mēta & meditamēta negociorū nō modicā delecta-  
tionē/sicut & ipse fœniculus prius sumptis esculen-  
tis odorē dare & meliorē digestionē facere asueuit.  
Em yō si plus eq̄ plixus fuero/veniā peto. Vale.

**L**urio de sy<sup>sy</sup> Indytissime rex sciat. t. M. quod ad has ipsas re-  
derim **m**ercantur ḡones mercandi causa primū venerim. Dumq̄ per  
q̄drennij reuolutionē ī eis rebus negociosus esse im  
& varias fortunę mutatiōes animaduerterem/ atq̄

viderē quo pacto caduca & transitoria bona homi  
 nem ad tempus in rotę summo tenerent / & deinde  
 ipsum præcipitarent ad imū qui se possidere multa  
 dicere poterat: constitui mecum varijs taliū rerū casis  
 bus exanclatis istiusmodi negotia dimittere / & me  
 orum laborum finē in res laudabiliores ac plus sta-  
 biles ponere. Ita disposui me ad varias mundi pa-  
 tes contemplandas / & diuersas res mirabiles viden-  
 das. Ad quam rem se & tempus & locus oportune  
 obrulit. Ipsę enim Castilię rex Fernādus tunc quatuor  
 tuor parabat naues ad terras nouas occidentē vers-  
 sus discooperiendas / cuius celsitudo me ad talia ins-  
 uestiganda in ipsam societatem elegit. Et soluimus  
 1497 vigesima die Maij. M.cccc..xcvij. de portu Calicę  
 iter nostrum per magnum oceani sinū capientes: in  
 qua profectione. xviij. consumauimus menses / mul-  
 tas inuenientes terras firmas / & insulas pene innu-  
 merabiles ut plurimum habitatas / quarū maiores  
 nostri mentionē nullā foecerūt. Vnde & ipsos anti-  
 quos taliū nō habuisse noticiā credimus. Et nisi me-  
 moria me fallat memini me in aliquo legere / qd' ma-  
 re vacuum & sine hominibus esse tenuerint. Cuius  
 opinionis ipse Dantes poeta noster fuit / vbi duo  
 deuigesimo capite de inferis loquens Vlissis mortē  
 confingit. Quę autem mirabilia viderim / in seqnen-  
 tiū processu. t. M. intelliget. Mēs xviii  
In p̄ua dāniā  
xiiii mēs s̄t. P̄ro  
vidi sub f̄ē ḡmina  
ḡdūmō

A. iii

# PRINCIPIVM

TERRARVM insularumq; variarū descriptio  
quarum vestuti nō meminerunt autores/ nuper ab  
anno īcarnati domini. M. cccc. xcviij. bis geminis na  
vigationibus in mari discursis/inuentarum: duabus  
videlicet in mari occidentali per dominū Fernandū  
Castilię/ reliquis vero duabus in Australi ponto p  
dominū Manuelem portugallię serenissimos reges  
Americo Vesputio vno ex naucleris nauigiūq; pr  
fectis prēcipuo subsequētem ad prēsatū dominum  
Fernandum Castilię regem/ de huiusmodi terris &  
insulis edente narrationem.



NNO DOMINI. M. CCC:  
xcviij. xx. mensis Maij die/ nos cū  
iij. conseruatię nauibus Calicium  
exeuntes portum/ad insulas (olim  
fortunatas/ nunc vero magnā Ca  
nariam dictas) in fine occidentis habitati positas in  
tertio climate: super quo extra horizontem earum  
Te. xxvj. gradibus cū duobus tertijs/ septentrionā  
lis eleuat polus/distantesq; ab hac ciuitate Lisbonā  
in qua conscriptum extitit hoccine præsens opuscul  
lum. cc. lxxx. leucis: vēto inter meridiem & Lebec  
ciūm ventū spirante/cursu primo pertigimus. Vbi  
(nobis de lignis/aqua/ ceterisq; necessarijs prouidē  
do) cosumptis octo fere diebus nos (facta in primis  
ad deum oratione) eleuatis dehinc & vēto traditis

Vm  
Vidi ac p̄f̄c̄t̄ sp̄c̄  
nigrae p̄f̄c̄t̄ No  
ca d̄r̄c̄t̄ z̄m̄ 12  
sib̄s

Fernandū  
Canarie

# NAVIGATIO

velis nauigationem nostrā per ponentē incipientes  
 (sumpta vna Lebeccij quarta) tali nauigio trāscurs-  
 rimus. vt. xxvij. vix elapsis diebus terre cuidam ap-  
 plicaremus/ quā firmā fore existimauimus. Distat  
 q̄ Canarię magnę ab insulis. M. (vel circiter) leucis:  
 extra id quos in zōno torrida habitatū est. Quod  
 ex eo nobis cōstitit: q̄ septentrionalem polum ex-  
 tra huiuscemodi telluris horizontem. xvi. gradibus  
 se eleuare/ magisq; occidentalem. lxxv. q̄ magnæ  
 Canarię insulas gradibus existere conspeximus: p  
 ut instrumenta omnia monstrabāt. Quo in loco (ia-  
 ctis de prora anchoris) classem nostrā leuca a littō  
 re cū media distantē/ restare coegimus; nōnullis so-  
 lutis phaselis armis & gēte stipatis/ cū quibus ipm  
 vscq; ad littus attigimus. Quo q̄z primū puenimus:  
 gentē nudā scđm littus euntē innumeram percepi. Nuda ḡs  
 mus. Vnde non paruo affecti fuimus gaudio. Omo-  
 nes em qui nudi incedere conspicēbant: videbant  
 quoq; ppter nos stupefacti vehemēter esse. Ex eo  
 (vt arbitror) q̄ vestitos/ alteriusq; effigiei q̄ forent  
 nos esse intuiti sunt. Hj postq; nos aduenisse co-  
 gnouerunt/ omnes in propinquū montē quendam  
 aufugerunt: a quo tūc nec nutibus/ nec signis pacis.  
 & amicicię vllis/ vt ad nos accederet allici potuerūt  
 Irruentę yō interea nocte/ nos classem nostrā male-  
 tuto in loco( vbi nulla marinas aduersus procellas  
 tuta residentia fore) cōsidere timentes; cōuenimus

A iij

Lorūs p  
mus

16 lat  
345 long

Timor de  
Classib[us]

# PRIMA

vna / vt hinc (mane facto) discederemus: exquirere  
mūscꝝ portū quēpiā / vbi nřas statione in tuta collo  
caremus naues. Qua de liberatiōe arrepta / nos vē  
to scd'm collē spiranti traditis velis / postqꝫ (visu ter  
ram ipsam sequēdo / atqꝫ ipso plage in littore / gētes  
continue percipiendo) duos integros nauigauimus  
*Comodus portus* dies: locum nauibus satis aptū comperimus. In quo  
media tantū leuca distantes ab arida / cōstitimus / vi  
dimūscꝝ tunc inibi innumerabilē gentiū turbā / qnā  
nos cominus inspicere / & alloqꝫ desiderantes: ipsa  
met die littori cū cymbis & nauiculis nostris appro  
piquimus: necnō & tunc in terrā exiuimus / ordine  
pulchro. xl. circirer viri huiuscemodi gente se tamē  
a nobis & consortio nostro penitus alienā prēben  
te. Ita vt nullis eā' modis ad colloquiū cōmunicatio  
nēmue nostrā allicere valuerimus: pter illis paucos  
quos multos post labores ob suscep̄tos / tandem at  
traximus ad nos dando eius nolas / specula / certos  
*Suntia mun  
sula* cristallinos aliacꝝ similia leuia / qui tum securi de no  
bis effecti / conciliatum nobiscū / necnon de pace &  
amicicia tractum venerūt: Subeūte autem interim  
nocte / nos ab illis nosmet expedientes (relictis eis)  
nostras ingressi sumus ad naues. Postea vero sub  
sequentis summo diluculo diei / infinitam in littore  
virorum & mulierum paruulos suos secum vectan  
tium gentem rursum conspēximus cognouimusqꝝ  
multitudinē illa suppellectilem suā secū deferre totā

# NAVIGATIO

qualē infra suo locū dicet. Quorū complures cōpri  
mū terrę appropiauimus semet in echor eproiūciē  
tes(cum maximi natatores existant)quantus est ba  
listę iactus nobis venerunt natantes obuiam/ susce  
perūt nos humaniter: atq; ea securitate & confidētia  
seipsoſ inter nos cōmiserūt ac si nobiscum diu  
tius antea cōsueuissent & pariter frequētius practi  
cauissent: pro qua re tūc haud parum oblectati fuſ  
mus. De quorum moribus(quales eos habere vidi  
mus)hic/quādoquidem ſe cōmoditas offert/ inter  
dum etiam interſerimus.

## De moribus ac eorum viuendi modis.

Vantum aduersum eoruſq; mores/omnes Nudi  
eq tam mares ſoeminq; nudi penitus incedunt  
tectis/ nō aliter verendis q̄b cū ex vtero p  
dierunt. H̄ij mediocris existentes stature multū be  
ne proportionati ſunt quoq; caro ad rufedinē( veluti  
leonū pili)vergit: qui ſi veſtimentis operti mearent  
albi(credo)tanq; nos extarēt. Nullos habent in cor  
pore pilos pterq; crines q̄s pceros nigreſcētesq; ge  
runt/& p̄ſertim ſoeminq; que ppterēa ſunt tali lōs  
go nigroq; crine decore. Vultu nō multum ſpecioſi  
ſunt qm̄ latas facies tartarijs adſimilatas habēt/ nul  
lōs ſibi ſinūt in ſupercilicijs oculorū palpebris ac

A v

# PRIMA

corpe toto (crinibus demptis) excrescere villos / ob  
id quod habitos in corpore pilos quid bestiale bru-  
taleq; reputat. Omnes tam viri q; mulieres siue me-  
ando / siue currendo leues admodum atq; veloces ex-  
istunt: qm (vt frequenter experti fuimus) ipse etiam  
mulieres vnā aut duas pcurrere leucas nihili putat/  
& in hoc nos christicolas / multū pcellunt. Mirabili-  
ter ac vltra q; sit credibile natat: multo quoq; meli-  
us foemineq; masculi quod frequenti experimento  
didicimus / cū ipsas etiā feminas omni prorsus suste-  
tamine deficientes duas in equore leucas pernatare  
pseximus. Arma eorū / arcus sunt & sagitte / quas  
multū subtiliter fabricare norunt. Ferro metallisq;  
alijs carent: sed pro ferro bestiarum pisciumue den-  
tibus suas sagittas armant / quas etiam (vt fortiores  
existant) vna quoq; sepe prægurunt. Sagittarij sunt  
certissimi. Ita vt quicquid voluerint iaculis suis feri-  
ant: non nullisq; in locis mulieres quoq; optimę sa-  
gittatrices extant. Alia etiā arma habent veluti lan-  
ceas præcutasue sudes / necnō & clauas capita mis-  
sifice laborata habentes. Pugnare potissimum assueti  
sunt aduersus suos alienigenę lingue confines con-  
tra q;s nullis parcendo (nisi vt eos ad acriora tormē  
ca reseruent) multū crudeliter dimicant. Et cū in præ-  
lium pperant suas secum vxores (non belligeratu-  
ras / sed eorū post eos necessaria perlaturas) ducunt  
ob id q; sola ex eis mulier tergo sibi plus imponere

## NAVIGATIO

possit / & deinde .xxx. vel .xl. vel leucis subuchere (p  
 ut ipsi sepe vidimus) q̄ vir (etiam validus) a terra le  
 uare queat. Nulla belli capita / nullosue p̄fectos ha  
 bēt / quinimo (cū eorū quilibet ex se dominus extet)  
 nullo seruato ordine meant. Nulla regnandi domi  
 niū suum extendendi / aut alterius inordinate cu  
 piditatis gratia pugnant: sed veterem solum ob ini  
 miciam in illis ab antiquo insitam: cuiusquidē ini  
 micicię causam interrogati nullā aliā indicāt / nisi vt  
 suorū mortes vendicent antecessorē. Hæc gens sua  
 in libertate viuens / nulliq̄z obediens / nec regē / nec  
 dominū habet. Ad prēliū autē se potissimū animat  
 & accingunt / cum eorū hostes ex eis quempīā aut  
 captiuum detinent aut interemerunt. Tunc em̄ eius  
 tēm captiui interemptiue consanguineus senior q̄  
 q̄ exurgens: exit cito in plateas & vicos p̄ssim cla  
 mitans inuitansq̄z omnes & suadens vt cū eo in p̄  
 lium consanguinei sui necem vindicaturi p̄perent:  
 qui omnes cōpassione moti / mox ad pugnam se ac  
 tingunt atq̄ repēte in suos inimicos irruunt. Nulla  
 iura / nullamue iusticiam seruant / malefactores suos  
 nequaq̄z puniunt: quinimo nec parentes ipsi / par  
 uulos suos edocent aut corripiūt. Mirabiliter eos  
 inter sele conquestionari nonnunq̄z vidimus. Sim  
 plices in loquela se ostentāt / verum callidi multum  
 atq̄ astuti sunt. Perraro / & summissa voce loquun  
 tur: eisdē quibus utimur accētibus vtentes. Suas vt

# PRIMA

plurimū voces inter dentes & labra formātes: alijs  
vtuntur vocabulis c̄p̄ nos. Horū plurime sunt idio-  
matum varietates/quoniā a cētenario leucarum in  
centenariū diuersitatem linguarum se mutuo nulla  
tenus intelligētiū reperimus. Cōmessandi modum  
valde barbarum retinent/nec quidem notatis man-  
ducāt horis/ sed siue nocte siue die: quotiens eden-  
di libido suadet. Solo manducantes accumbunt/&  
nulla mantilia/nullaue gausapa(cū lineamentis pan-  
nis c̄p̄ alijs careant) habent. Epulas suas atc̄p̄ cibaria  
in vascula terrea que ipsimet cōfingunt/ aut in mes-  
dias cucurbitarū testas ponūt. In retiaculis quibus-  
dam magnis ex bombice factis & in aere suspensis  
dormitant: qui modus c̄p̄uis insolitus & asperior  
sortassis videri queat/ego nihilominus talē dormi-  
tandi modum suauem plurimum iudico. Etenim cū  
in eisdem eorum retiaculis mihi plerumc̄p̄ dormitas  
se contigerit/ in illis mihi metiplsī melius c̄p̄ in tape-  
tibus quæ habebamus esse persensi. Corpore val-  
de mundi sunt & expoliti/ ex eo c̄p̄ seipsoſ frequē-  
tissime lauant. Et cum egestum ire( quod salua dis-  
xerim reuerentia ) coacti sunt/omni conamine ni-  
tuntur/ut a nemine perspici possint: qui quidem in  
hoc quāto honesti sunt/tanto in dimittenda vrina  
se imundos inuercundoſc̄p̄ tam mares c̄p̄ scemine  
præbent: cum siquidem illos nobiscum loqnentes/  
& coram positos suā impudicissime vtinam sepius

# NAVIGATIO

eminxisse p̄speximus. Nullam legē nullū legitimū  
 thori foedus in suis cōnubijs obseruāt: quinīmo q̄t,  
 quot mulieres quisq; cōcupisicit: tot habere & dein  
 illas qñcūq; volet (absq; hoc q̄ id p̄ iniuria aut op-  
 probrio habeāt) repudiare pōt. Et in hac re vtic̄ tā  
 viri q̄ mulieres eadē libertate fruunt. Zœlosi parū  
 libidinosi vero plurimū extant: magisq; foemine q̄  
 masculi: quar̄ artificia vt insatiabili suę satisfaciant  
 libidini hic honestatis gratia subticenda censuimus  
 Eę ipse in generandis paruulis fœcundę admodum  
 sunt: necq; dū grauidę effectę sunt poenas aut labo-  
 res euitant. Leuissimo minimoq; dolore pariūt. Ita  
 vt in crastinū alacres sanatęq; vbiq; ambulent: pre-  
 fertimq; post partū in flumē quopiā sese ablutū va-  
 dunt/tumq; sanę mundatęq; inde (veluti p̄scis) ap-  
 parēt. Crudelitati autē ac odio maligno adeo dedi-  
 tę sunt: vt si illas sui forsitan exacerbauerint viri/subi-  
 to certū quoddā efficiūt maleficūt: cū quo p̄ ingenti  
 ira p̄prios foetus in p̄prijs vteris necāt abortiūtq;  
 deinde: cuius rei occasiōe infiniti eorū paruuli p̄eūt.  
 Venusto/& eleganti p̄portione cōpacto/corpore  
 sunt. Ita vt in illis quicq; deformē nullo inspici mos  
 do possit. Et q̄uis disnude ambulent inter foemina  
 tamen ear̄/pudibunda sic honeste reposita sunt/vt  
 nullatenus videri quęant/ p̄terquā regiūcula illa an-  
 terior/ quā verecūdiore vocabulo pectusculū imū  
 vocamus quod & in illis vtic̄ nō aliter q̄ honeste

Mirabilis  
actus nobis  
reuerans

Pudore mu-  
tantis

Pudore pudore  
nō surpresa

# PRIMA

natura ipsa vidēdum reliquit. Sed & hoc nec quidē  
curant qm̄(vt paucis expediā) nō magis in suorū vi-  
sione pudendorū mouent̄/q̄ nos in oris nostri/ aut  
vultus ostētatione. Admirandā per valde rem du-  
cerent mulierē in eis mamillas/ pulpas velaxas/ aut  
vētrem rugatū ob nimiū partū habentē/ cū omnes  
equę integrę ac solide post partū semp̄ appareāt: ac  
si nunq̄ peperissent. Hee quidē se nostri cupiētissi-  
mas esse monstrabant. Neminem in hac gente legē  
aliquā obseruare vidimus:nec quidē iudei aut mau-  
ri nuncupari solide quęunt:cum ipsis gentilibus aut  
paganis multo deteriores sint. Etenim nō persensi-  
mus q̄ sacrificia vlla faciant/aut q̄ loca orationisue  
domos aliquas habeant: horū vitā( quę omnino vo-  
luptuosa est) Epycuriam existimo. Illorum habita-  
tiones singulis ipsis sunt cōmunes/ ipseq; illorū do-  
mus campanarum instar cōstructe sunt firmiter ex  
magnis arboribus solidatē/ palmarum folijs desu-  
per contecte/ & aduersus vētos & tempestates tu-  
tissime/ nonnullisq; in locis tam magnę/ vt in illa-  
rum vnicā sexcentas esse personas inuenerimus. In  
ter quas octo populosissimas esse comperimus: sic  
vt in eis essent habitarentq; pariter animarū decem  
millia. Octennio quolibet/ aut septennio/ suas se-  
des habitationesue transferunt/ qui eius rei causam  
interrogati/ naturale responsum dederunt/ dicen-  
tes q̄ phœbi vehemētis estus occasiōne hoc facerēt.

Epinurai



## NAVIGATIO

Ob id q̄ ex illorum longiore in eodem loco residen-  
 tia aer infectus corruptusq; redderetur/ quæ res in  
 eorum corporibus varias causaret egritudines/ que  
 quidem eorum ratio non male sumpta/ nobis visa  
 est. Eorum diuitiæ sunt variorum colorum anium  
 plumæ/ aut in modum lapillorū illorum/ quos vul-  
 gariter pater noster vocitamus lamine siue calculi  
 quos ex pisciū ossibus lapillis ve viridibus aut can-  
 didis faciunt: & hos ornatus gratia sibi ad genas la-  
 bia vel aures suspēdūt. Alia quoq; similia futilia &  
 leuia pro diuitijs habent/ quæ nos omnino parui  
 pendebamus. Commutationibus aut mercimonij  
 in vendendo/ aut emendo nullis vtuntur / quibus  
 satis est quod natura sponte sua propinat Aurum  
 vniones iocalia cæteraq; similia/ quæ in hac Euro-  
 pa pro diuitijs habemus nihil extimāt/immo peni-  
 tus spernunt/nec habere curant. In dando sic natu-  
 raliter liberalissimi sunt/ ut nihil quod ab eis expes-  
 tatur abnegent. Et quemadmodum in dando lis-  
 berales sunt sic in petendo & accipiendo cupidissi-  
 mi postq; se cuiquam amicos exhibuerint. Maxi-  
 mum potissimumq; amiciciæ sue signum in hoc per-  
 hibent/ q; tam vxores q; filias proprias amicis suis  
 pro libito habendas offerunt/in qua re parens vter  
 q; se longe honoratū iri existimat cum natā eius (&  
 si virginem) ad concubitū suum quispiam dignatur  
 & abducit; & in hoc suam inter se amiciciā potissi-

Diuitiis

R

Aurum vno  
mō  
to hūmō

Amicitia mōra

## PRIMA

*De sepultura* **mum conciliant.** Varijs in eorū decessu multiq; mo-  
dis exequijs vtun̄t. Porro suos nōnulli defūctos in  
humo cū aqua sepeliunt & inhumant illis ad caput  
victualia ponētes quibus eos posce vesci & alimen-  
tari putāt: nullū deinde ppter eos aliū planctū/ aut  
alias ceremonias efficiētes. Alij qbusdā in locis bar-  
barissimo atq; inhumanissimo sepeliēdi vtun̄t mo-  
do. Quippe cū eorū quēpiam mortis momēto pxi-  
mū autumant: illū eius ppinqiōres/in siluā inge-  
tem quandā deferunt: vbi eū in bombiceis retiacu-  
lis illis in quibus dormitant impositū & recubantē  
ad duas arbores in aera suspendūt/ ac postmodum  
ductis circa eū sic suspensum vna tota die choreis  
(irruēte interim nocte) ei aquā/victūq; aliū/ ex quo  
quattuor aut circiē dies viuere qat ad caput appo-  
nūt: & deinde (sic inibi solo pēdente relicto) ad suas  
habitatiōes redeūt: quibus ita pactis si isdē egrōtus  
postea māducet & bibat/ ac inde ad cōualeſcentiā  
sanitatēq; redeat/ & ad habitationē ppriā remeet  
illū eius affines ac ppinqi/ cū maximis suscipiūt ce-  
rimonijs. At ppauci sunt qui tā grāde ptereant peri-  
culum/ cū eos ibidē nemo postea visitet: qui si tunc  
inibi forsitan decedūt nullā aliā habēt postea sepul-  
turam. Alios quoq; cōplures barbaros habēt ritus  
quos euitande plixitatis hic omittimus gratia. Dis-  
*M. Medicina* ueris varijsq; medicaminib; i suis morbis & egris  
tudinibus vtun̄t/q; sic a nostris discrepāt & discon-

# NAVIGATIO

ueniunt. vt mirarent̄/ haud parū qualiter inde quis  
 euadere posset. Nempe (yt frequēti didicimus expe-  
 rientia) cū eorū quēpiā febricitare contigerit/ hora q̄  
 febris eū asperius ingetat ipm in frigentissimā aquā  
 immergūt & balneant/ postmodūq; p duas horas  
 circa ignē validum (donec plurimū calescat) currere  
 & recurrere cogūt: & postremo ad dormiendū de-  
 ferūt quoquidē medicamēto cōplures eorū sanitati  
 restitui vidimus. Dietis etiā (qbus tribus q̄tuorve  
 diebus absq; cibo & potu p̄sistunt) frequentissimis  
 vtun̄. Sanguinē quoq; sibi p̄sepe cōminuūt nō in  
 brachijs (salua ala) sed i lumbis & tibiae & pulpis. Sez  
 ipsos etiā ad vomitū cū certis herbis quas in ore de-  
 ferunt medicaminis grā plerūq; puocāt/ & multis  
 alijs remedijis antidotisq; vtun̄/ q̄ longū dinumera-  
 re foret. Multo sanguine m̄stoq; flegmatico humo-  
 re habundāt cibariorū suorū occasione/ q̄ ex radici-  
 bus/ fructibus/ herbis/ varijsq; piscibus faciūt. Om̄  
 ni farris granorūq; aliorū semine carēt. Cōmunis ve-  
 ro eorū pastus siue victus siue arborea radix quedā  
 est/ quā i safrinā satis bonā cōminuūt/ & hāc radicē  
 qdā eorū iucha/ alijs chambi/ alijs yō ignami vocitāt.  
 Alijs carnibus/ p̄terq; hoīm p̄raro vescunt in qui-  
 busquidē hoīm carnibus vorādis sic inhumani sūt  
 & inmansueti: vt in hoc oēm feralē/ omnēue bestia-  
 lem modū supent/ oēs em̄ hostes suos q̄s aut peri-  
 mūt aut captos detinēt tā viros q̄s fēminas indistin-  
Nitr. far. Int.  
Anthrop. pag.

# PRIMA

Cte cū ea feritate deglutiūt vt nihil ferū/ nihilve brū  
tum magis dici vel inspici queat/ quosquidē sic efel  
ros imanesq; fore/ varijs in locis mihi frequētius cō  
tigit aspexisse/mirātibus illis q; inimicos n̄os sic q;  
q; nequaq; māducaremus. Et hoc p certo maiestas  
vestra regia tneat. Eorū cōsuetudines( quas pluri  
mas habent) sic barbare sunt/ vt hic nunc sufficien  
ter satis enarrari nō valeant. Et qm̄ in meis hisce bis  
geminis nauigationibus/ tam varia diuersacq;/ ac tā  
a nostris rebus & modis differentia perspexi. Idcir  
co libellū quēpiam( quē quattor dietas siue quattu  
or nauigations appello) conscribere paraui cōscri  
psicq;/ in quo maiorē rē a me vīsarē partē distincte  
satis/iuxta ingenioli mei tenuitatē collegi. Verūta  
men nō adhuc publicauī. In illo yō qm̄ omnia par  
ticulariter magis ac singillatim tangen̄t/ idcirco vni  
uersalia hic solummodo prosequens: ad nauigatio  
nem nostram priorē perficiendam a qua paulisper  
digressus fueram iam redeo.

IN HOC NAVIGII NOSTRI PRIMOR  
dio notabilis cōmoditatis res non vidimus / idcirco  
(vt opinor) q; eorū linguā nō capiebamus / preterq;  
nōnullā auri denotantiā/ qd' nōnulla indicia in tellu  
re illa esse mōstrabant. Hecce yō tellus q; ad sui si  
*Op̄ha h̄rra* tū positionēq; tā bona est: vt vix dari melior queat  
Cōcordauimus aut vt illā derelinquētes lōgius nā  
vigationem pduceremus. Qua vnanimitate susce

## NAVIGATIO

pta/nos dehinc aridā ipsam collateralit̄ semp̄ sectā-  
 tes/ necnō gyros m̄ltos scalasq; plures circueentes  
 & interim cū m̄ltis varijsq; locor̄ illor̄ incolis cō-  
 ferentiā habentes/tandē certos post aliqt̄ dies porAlius lorn  
 tui cuidā applicuimus/in q; nos grandi a periculo al-  
 titono spiritui cōplacuit eripe. Huius em̄ modi por-  
 tū cōprimū introgressi fuimus populationē vnā eo-  
 rū hoc est pagū aut villā sup̄ aquas (vt Venetię) po-  
 sitā cōperimus/in qua ingentes.xx.edes aut circiter  
 erant/in modū campanarū (vt pr̄tractū est) effecte  
 atq; sup̄ ligneis vallis solidis & fortibus firmiter fū-  
 date/ pr̄e quarū porticibus leuaticij pōtes porrecti  
 erant:per quos ab altera ad alteram tanq; per com-  
 pactissimā stratam transitus erat. Igitur huiusmodi  
 populationis incole cōprimum nos intuiti sunt ma-  
 gno ppter nos timore affecti sunt/ q; ob rem suos  
 confestim pontes omnes cōtra nos eleuauerunt/&  
 sese deinde in suis domibus abdiderūt. Quam rem  
 prospectantibus nobis/ & haud parum admirans-  
 tibus/ecce duodecim eorum lintres vel circiter sin-  
 gulas ex solo arboris caudice cauatas (quo nauium  
 genere vtun̄) ad nos interim per equor aduentare  
 conspeximus/quor̄ naucleri effigiem nostrā habi-  
 tūq; mirantes ac sese circū nos vndiq; circumferen-  
 tes/nos eminus aspiciebāt. Quos nos quoq; ex ad Amnitiae  
 uero prospicientes/plurima eis amicicię signa dedi-  
 mus/ quibus eos/ vt ad nos intrepidi accederent/  
signo

# PRIMA

exhortabamur/qd' tñ efficere contēpserūt. Quā rē nobis p̄cipiētibus mox ad eos remigare incēpimus q̄ nequaq̄ nos p̄stolati sunt: quinīmo oēs cōfestim in terram fugerūt datis nobis interim signis vt illos paulisper expectaremus. Ipsi em̄ ex templo reuersi forent. Tumq̄ in montē quendā p̄perauerūt/a q̄ eductis bis octo iuuēculis & in līntribus suis p̄fatis vna secū assumptis mox ysus nos regressi sunt. Et post hæc ex iuuēculis ipsiis q̄tuor in singulis nauīū nostrar̄ posuerūt: quē faciēdi modū nos haud parz admirati tūc suimus/ put v̄ra satis p̄pendere potest maiestas. Ceterūq̄ cū līntribus suis p̄missis int̄ nos nauesq̄ n̄ras cōmixti sunt/ & nobiscū sic pacifice locuti sūt/ vt illos amicos n̄ros fidelissimos esse repus taremus.

**Erit ette** Interea yō ecce q̄c̄ ex domib⁹ eorū p̄me moratis gens nō modica p̄ mare natitans aduētare ccepit: quibus ita adueniētibus & nauib⁹ n̄ris iam appropinq̄re incipientibus/nec tñ p̄inde mali qc̄q̄ adhuc suspicaremur: rursum ad earūdē domor̄ eo- rum fores/vetulas nōnullas cōspeximus q̄ immani ter vociferātes & cōlū magnis clamoribus implet̄ sibimet/ in magne anxietatis in indicū p̄prios euellebāt capillos: q̄ res magnā mali suspicionem nobis tūc attulit. Tumq̄ subito factū est vt iuuēcu-

**Erit immixtus** le illē quas in n̄ris imposuerūt nauibus mox in ma- re p̄silirent/ ac illi qui in līntribus erant se se a nobis elongantes mox contra nos arcus suos intenderēt:

Vnde p̄stam̄tū

Erit ette

Venla

Erit immixtus

# NAVIGATIO

nosq<sup>b</sup> durissime sagittarēt. Qui vero a domībus p  
 mare natantes adueniebāt singuli latentes in vndis  
 lanceas ferebant/ex quibus eorū pditionē cognoui  
 mus. Et tū nō solū nosmet magnanimiter defende-  
 re/verū etiā illos grauiter offendere incepimus. Ita H[ab]bam s/  
 vt plures eorū fasellos cū strage eorū nō parua pfre  
 gerimus/& poenitus in ponto submerserimus: pro  
 pter qd' reliquis faselis suis cū damno eorū maximo  
 relicts/p mare natantes omnes in terrā fugerunt in  
 ter emptis ex eis. xx. vel circiter/ vulneratis yō plu  
 ribus:& ex nostris yō quinq<sup>b</sup> dumtaxat lesis/q̄ om  
 nes ex dei gratia incolumenti restituti sunt. Comp̄  
 hendimus autē & tunc ex p̄tactis iuuenculis duas:  
 & viros tres/ac dehinc domos eorū visitauimus &  
 in illas introiuimus/ verū in eis quicq<sup>b</sup> nisi vetulas  
 duas & egrotantē virū vnicū) nō inuenimus/q̄s qui  
 dem eorū domos igni succendere nō voluimus: ob  
 id q̄ cōscientię scrupulū hoc ipsum esse formidaba-  
 mus. Post hęc autē ad naues nřas cū p̄tactis capti-  
 uis qncq<sup>b</sup> remeauimus/ & eosdē captiuos/ p̄terq̄ iu Capitum Vena  
 uenculas ipsas in compedib⁹ ferreis alligauimus:  
 Eędem yō iuuēculę captiuorūq̄ virorū vnius sup-  
 uenienti nocte a nobis subtilissime euaserūt: his ita  
 q̄ pactis/sequēti die cōcordauimus/vt relicto por-  
 tu illo longius scđ'm collem pcederemus/p̄cussisq̄  
 lxxx. fere leuis gentē aliā quandam comperimus  
 lingua & cōuersatione penitus à priore diuersam:

ib ij

# PRIMA

*Alla gen. inuenientia* Conuenimusq; vt classem inibi nostrā anchorares  
mus & deinde in terrā ipsam/cū nauiculis nřis acce-  
deremus. Vidimus autē tūc ad littus ī plaga gentiū  
turbā. iij. M. psonarū vel circiter existere/ q cū nos  
appropriare persenserūt nequaq; nos p̄stolati sunt  
quinimo(cunctis q habebāt relictis) oēs in siluas et  
nemora diffugerunt. Tum yō in terrā p̄silientes/&  
viā vnā in siluas tendentē/ q̄ptus est baliste iactus/p  
ambulantes/mox tentoria plura inuenimus que ibi  
dem ad piscandū gens illa tetenderat: & in illis co-  
piosos ad de coquendas epulas suas ignes accende-  
rat/ac plecto bestias ac p̄les variar; specierū pisces  
iam assabat. Vidimus autē inibi certū assari animal  
quod erat(demptis alis quibus carebat) serpenti si-  
millimū tamq; brutū ac siluestre apparebat/ vt eius  
nō modicū miraremur feritatē. Nobis vero per ea-  
dem tentoria longius p̄gredientibus/ plurimos hu-  
iuscemodi serpētes viuos inuenimus/ qui ligatis pe-  
dibus ora quoq; finibus ligata/ne eadē aperire pos-  
sent/habebāt/ put de canibus aut feris alijs ne mor-  
dere queant effici solet. Aspectū tam ferū eadem p̄  
se ferūt animalia vt nos illa venenosa putantes nul-  
latenus auderemus cōtingere. Capreolis in magni-  
tudine:brachio vero cū medio/in lōgitudine equa-  
lia sunt. Pedes longos materialesq; multum ac forti-  
bus vngulis armatos/necnō & discholorē pelle dis-  
uersissimā habēt/nostrūq; ac faciē veri serpētis ges-

*Mirabile  
animal*

## NAVIGATIO

stant/a quorū naribus vscq; ad extremā caudam ses  
 ta quedā per tergū sic protendit ut animalia illa ves  
 ros serpentes esse iudicaremus/ & nihilominus eis  
 gens p̄fata vescit. Panē suū gens eadem ex piscibus ~~Rams et p̄fisi~~  
 quos in mari p̄scant efficiunt. Primū em̄ pisciculos  
 ipsos inferuenti aqua aliquantis per excoqnūt. De  
 inde vero contundunt & cōpistant/ & in panes cō  
 glutinant quos sup prunas insup torrent & tandem  
 inde postea māducant/hosquidē panes pbantes q̄  
 bonos esse reperimus. Alia quoq; q̄multa esculēta  
 cibariaq; tam in fructibus q̄ in varijs radicibus reti  
 nent q̄ longū enumerare foret. Cum autē a siluis ad  
 q̄s aufugerāt nō redirēt,nihil de rebus eorū ( vt amo  
 plius de nobis securi fierēt) auferre voluimus: quin  
 imo in eisdē eorū tentorijs pm̄pta de reculis nr̄is/ in  
 locis q̄ p̄pendere possent/ derelinquentes ad naues  
 nr̄as sub noctē repediauimus. Sequēti yō die cū ex  
 oriri titan inciperet/ infinitā in littore gentē existere  
 percepimus/ ad q̄s in terrā tūc accessimus. Et q̄uis  
 se nostri timidos ostēderēt seipsoſ/ tñ inter nos per  
 miscuerūt/ & nobiscū practicare ac cōuersari cū se  
 curitate cēperūt/ amicos nr̄os se plurimū fore persi  
 mulantes/ insinuātesq; illic habitatiōes eorū nō esse  
 verū q̄ p̄scandi ḡra aduenerāt. Et idcirco rogitan  
 tes/ vt ad eorū pagos cū eis accederemus: ipsi etenī  
 nos tanq; amicos recipere vellēt/ & hāc quidē de no  
 bis cōceperāt amiciciā/captiuorū illorū duorū (quos

# PRIMA

tenebamus) occasione/ qui eorū inimici erant. Visa  
autē eorū magna rogādi importunitate cōcordauis-  
mus. xxij. ex nobis cū illis in bono apparatu cū sta-  
bili mente ( si cogeret necessitas) oēs strēne mori.  
Cum itaq; nobiscū p̄ tres extitissent dies & tres cū  
eis p̄ plagā terrāq; illā excessissemus leucas/ ad pa-  
gū vnu/nouē dūtaxat domorū venimus: vbi cū tot  
tāq; barbaris ceremonijs ab eis suscepti fuimus/ vt  
scribere penna nō valeat: vtputa cū choreis & cāti-  
cis ac planctibus hilaritate & leticia mixtis/necnon  
cū ferculis cibarijsq; multis. Et ibidem nocte illa re-  
quieuiimus/ vbi pprias vxores suas nobis cū omni  
p̄digalitate obtulerunt/ q̄ quidē nos sic importune  
solicitabant vt vix eisdē resistere sufficeremus: post  
q̄ aut illic nocte vna cū media die p̄stitimus/ ingēs  
admirabilisq; populus absq; cūctatione stuporeq;  
ad nos inspiciēdos aduenit: quorū seniores nos q̄q;  
rogabāt/ vt secū ad alios eorū pagos (qui longius in  
terra erāt) cōmearemus qd̄ & quidē eis annuimns:  
Hic dictu facile nō est q̄ztos ipsi nobis impēderunt  
honores. Fuimus autē apud q̄z multas eorū popula-  
tiones/p̄ integros nouē dies cū ipsis eentes/ ob qd̄  
nobis nostri q̄ in nauibus remāserāt retulerūt socij  
se idcirco plerūq; in anxietate timoreq; nō minimo  
extitisse. Nobis autē bis nouē leucis aut circit in eo  
rū terra existentibus/ad naues nīras repedare ppo  
suimus. Et quidē nīo in regressu tam copiosa ex eis

# NAVIGATIO

virorū ac mulierū multitudo accurrit/ qui nos usq; ad mare psecuti sunt: vt hoc ipsum mirabile foret.  
 Cūq; nr̄i quempiā ex itinere fatigatū iri cōtingeret:  
 ipsi nos subleuabant/ & in suis retiaculis in quibus dormitant studiosissime subuehebat. In transitu q; q; flumiū (quę apud eos plurima sunt & maxima) sic nos cum suis artificijs secure trāsmittebat: vt nulla usq; pericula ptimesceremus. Plurimi etiam eore nos comitabant rerū suar; onusti/ quas nobis dederat/ illas in retiaculis illis quibus dormiūt vectantes plumaria videlicet p̄ditia/ necnō arcus m̄stos/ sagittar; multas/ ac infinitos diuersorū colorū p̄sitacos.  
 Alij quoq; cōplures supellectilem suā totā ferentes aīalia: etiā sua secū ducebāt. Et quiddā admirabilē dicā: q; is fortunatū se felicēq; putabat q; in trāsmeandis aquis nos i collo dorso ve suo trāsuectare poterat. Quāprimū autē ad mare p̄tigimus & faselos nostros cōscēdere voluimus/ in ipso faseloru n̄orū ascensu: tāta ipsoru nos cōmitantiū/ & nobiscū ascēdere cōcertantiū/ ac naues n̄as videre cōcupiscentium pressura fuit: vt nostri idē faseli pene p̄ pondere submergerent. In ipsis autē n̄ris eisdē faselis receperimus ex eis nobiscū quotq; potuimus: ac eos ad naues nostras usq; pduximus. Tanti etiā illorū p̄ mare natantes/ & vna nos cōcomitātes aduenerūt: vt tot aduētare molestiuscule ferremus/ cū siqdē plus res q; mille in n̄as naues/ licet nudi & inermes in-

# PRIMA

*Bombardar.*  
troiuissent/apparatum artificiūq; nostrū/necnō &  
nauiū ipsarū magnitudinē mirātes. Ast tūc quiddā  
risu dignū accidit. Nā cū machinarꝝ/tormentorūq;  
bellicorꝝ nostrorꝝ quedā exonerare cōcuperemus:  
& ppter hoc(imposito igne) machinę ipſe horridis  
sime tonuissent/pars illoꝝ maxima(audito huiusce  
modi tonitruo)sese in mare natitans p̄cipitauit:ve  
luti solite sunt rane in ripa sidentes: q̄ si fortassis tu-  
multuosum quicq; audiūt/sese in p̄fundū luti latita-  
turę īmergūt/ quēadmodū & ḡes illa tunc fecerunt  
illiq; eorꝝ qui ad naues aufugerāt:sic tūc p̄territi fue-  
runt:vt nos facti nostri nosmet rephēderemus. Ve-  
rū illos mox securos esse fēcimus:nec amplius stupi-  
dos esse p̄misimus/ insinuantes eis q̄ cū talibus ar-  
mis hostes n̄os perimeremus. Postq; autē illos illa  
tota die in nauibus n̄is festiuę tractauimus/ipsos a  
nobis abituros esse monuimus: qm̄ sequenti nocte  
nos ab hīc abscedere cupiebamus. Quo audito/iþi  
cū sūma amicicia benevolētiaq; mox a nobis egref-  
si sunt. In hac gēte eorūq; terra q̄multos eorū ritus  
vidi cognouiq; in quibus hic diutins īmorari nō cu-  
pio. Cum postea nosse vestra queat maiestas q̄liter  
in quavis nauigationū harꝝ mearū magis admirane-  
da annotatuq; digniora cōscripserim ac in libellum  
vnū stilo geographicō collegere quē libellū q̄ttuor  
dietas intitulaui & in q̄ singula particularit̄ & minu-  
tim notaui: sed hactenus a me nō emisi ob id q̄ illū

*Liber 4*

*Dicitur  
Vide de Sillo ad finē pp. Sator Torio emigravit*

## NAVIGATIO

adhuc reuisere collationareq; mihi necesse est. Terra  
 illa gente multa populosa est ac multis diuersisq;  
 animalibus & nostris paucissime similibus vndiq;  
 densissima. Demptis leonibus/vrsis/ceruis/suibus/  
 capreolisq;/& dāmis/q; & quidē deformitatē quā-  
 dā a nostris retinēt/equis/ac mulis/asinisq;/ & cani-  
 bus/ac omni minuto pecore( vt sūt oues & similia)  
 necnō & vaccinis armētis p̄enitus carēt/ verū tamē  
 alijs q̄plurimis varior̄ generū aīalibus( que nō fa-  
 cile dixerim)habundantes sunt: sed tñ oīa siluestria  
 sunt: quibus in suis agēdis minime vtunt̄. Quid plu-  
 ra: H̄i tot tantisq; diuersor̄ modorū ac color̄ pen-  
 narūq; alitibus fecūdi sunt: vt id sit visu enarratuq;  
 mirabile: regio siquidē illa multū amena fructifera-  
 q; est/ siluis ac nemoribus maximis plena/ q; oī tpe  
 virēt/nec eor̄ vñq; folia fluunt. Fructus etiā innu-  
 merabiles & nostris omnino dissimiles habēt. H̄ec  
 cine tellus in torrida zona sita est directe sub para-  
 lello qui cancri tropicum describit vñ polus orizon-  
 tis eiusdē se.xxiij. gradibus eleuat in fine climatis se-  
 cundi. Nobis autē inibi existentibus nos cōtēplatū  
 populus multus aduenit/ effigiem albedinemq; no-  
 stram mirantes: quibus vnde veniremus sc̄iscitanti-  
 bus: e coelo inuiscende terre gratia nos descendisse  
 respondimus/quod & vtiq; ipsi credebāt: in hac tel-  
 lure baptisteria fontesue sacros plures instituimus:  
 in quibus corum infiniti seipso baptisari soecerunt

c. ñ

*Lori simis*  
*Pariis*  
*Vorūm*

# PRIMA

sc eorū lingua charaibi/hoc est magnē sapientiē vi-  
ros vocantes. Et pūincia ipsa Parias ab ipsis nūcu-  
pata est. Postea autē portū illū terrāq; derelinquen-  
tes ac scdm collē transnauigantes & terrā ipsam vi-  
su semp sequētes. Dccc.lxx.leucas a portu illo per-  
currimus: faciētes gyros circuitusq; interim multos  
& cum gentibus multis cōuersantes practicantesq;  
Vbi in plerisq; locis aurum (sed nō in grandi copia)  
emimus/cū nobis terras illas reperire & si in eis au-  
rum foret: tunc sufficeret cognoscere. Et quia tunc  
xiiij.iā mensibus in nauigatione nostra p̄stiteramus  
& naualia nostra/apparatusq; nostri/totī p̄ene cō-  
sumpti erāt hoīesq; labore p̄fracti. Communē inter  
nos de restaurādis nauiculis nostris (quē aquā vndi-  
q; recipiebāt) & repetunda hyspania/iniuimus con-  
cordiā/in quā dum p̄sisteremus vnanimitatē/ ppe

*Portus rōmo* portum vñ eramus totius orbis optimū: in quē cū  
*dīs* nauibus nostris introeentes/gentē ibidē infinitā in-  
uenimus/quē nos cum magna suscepit amicicia: in  
terra autē illa nauiculā vñ cū reliquis nauiculis no-  
stris ac dolijs/nouā fabricauimus: ipsaſq; machinas  
nostras ac tormēta bellica/quē in aquis vndiſq; pe-  
ne peribāt: in terrā suscepimus/ nostrasq; naues ab  
eis exonerauimus:& post hēc in terrā traximus: &  
refecimus correxiſq; & penitus repauimus. In q̄  
re eiusdē telluris incole: nō paruū nobis adiuuamē  
exhibuere: qui nimmo nobis de suis victualibus ex-

# NAVIGATIO

affectu largiti sponte sua fuere/ propter quod inibi  
 per pauca de nostris cōsumplimus: quāquidē rē ins-  
 genti p̄ beneplacito duximus: cum satis tenuia tūc  
 teneremus: cum quibus hyspaniā nostrā nō(nisi ins-  
 digentes)repetere potuissimus. In portu autem illo  
 xxxvij. diebus p̄stitimus: frequētius ad populatio-  
 nes eorū cum eis euntes: vbi singuli nobis nō paruū  
 exhibebant honorē. Nobis autē portū eundē exire  
 & nauigationē nostrā reflectere concupiscentibus  
 conquesti sunt illi gentē quandā valde ferocē & eis  
 infestā existere: qui certo anni tempore p̄ viā maris  
 in ipsam eorū terrā p̄ insidias ingressi/ nunc p̄dito-  
 rie/nunc p̄ vim q̄z multos eorum interimerent/mās  
 ducarentq̄z deinde. Alios yō in suā terrā suascq̄z do-  
 mos captiuatos ducerēt/cōtra quos ipsi se vix defē-  
 dere possent/ nobis insinuantes gentē illā quādā in  
 habitare insulā q̄ in mari leucis centū aut circit erat.  
 Quā rem ipsi nobis cū tāto affectu ac querimonia  
 cōmemorauerūt: vt eis ex condolentia magna cres-  
 deremus/ p̄mitteremusq̄z vt de tantis eos vindica-  
 remus iniurijs/ ppter qđ illi letantes nō parū effecti  
 sese nobiscū vētueros spōte sua ppria obtulerūt: qđ  
 plures ob causas acceptare recusauimus/ demptis  
 septē/ quos data cōditione recepimus: vt soli in suis  
 lintribus in ppria remearēt/ qm̄ reducendorū eorū  
 curā suscipe nequaq̄z intendebamus/ cui conditioni  
 ipsi q̄z gratāter acquieuerunt. Et ita illos amicos no-

# PRIMA

stros plurimū effectos derelinquētes/ab eis abscessos  
simus. Restauratis autē reparatisq; naualibus nūris/  
septē p; gyrū maris (vēto inter grecu: & leuantē nos  
ducēte) nauigauimus dies. Post q;s plurimis obuias  
uimus insulis quarū quidē alię habitę/alię ḡo discre  
tę erāt. Harū igit̄ vni tandē appropinquātes & na  
ues nostras inibi sistere faciētes/vidimus ibidem q;s  
maximū gentis aceruū: qui insulā illam Ity nūcupa  
rēt/quibus p;spectis/ & nauiculis phaselisq; nūris vi  
ris validis/& machinis tribus/stipatis/terre eidē vi  
cinius appropinquantes.iiij.C.viros cū mulieribus  
q;smktis iuxta littus esse cōspeximus: q; vt de priori  
bus habitū est oēs nudi meātes/corpe strēnuo erāt  
necnō bellicosi plurimū/validiq; apparebāt/cū siq;  
dem oēs armis suis/arcubus videlicet & sagittis/lā  
ceisq; armati essent/quorū quoq; cōplures parmas  
etiā/quadratae scuta gerebāt/ quibus sic oportu  
ne sese p;muniebāt/vt eos in iaculandis sagittis suis  
in aliquo nō impedirent. Cūq; in phaselis nūris terre  
ipsi q;rtus est sagittę volatus appropriassemus/oēs  
citius in mare p;silierunt/& infinitis emissis sagittis  
sese cōtra nos strēnueū ne in terrā descendere posse  
mus) defendere occuperūt. Omnes vero p; corpus  
diuersis coloribus depicti:& varijs volucrū pennis  
ornati erant/q;s hīj qui nobiscū venerāt aspicientes  
illos ad preliandū paratos esse/q;tienscūq; sic picti:  
aut auium plumis ornati sunt:nobis insinuauerunt:

# NAVIGATIO

Instantū aut̄ introitū terrę nobis impediēt ut saxis Board  
 uomas machinas nřas in eos coacti fuerimus emit-  
 tere/quar̄ auditu tumultu/impetuꝝ viso/ necnon  
 ex eis plerisq; in terram mortuis decidisse p̄spectis  
 oēs in terrā sese receperunt. Tumq; facto inter nos  
 cōsilio. xlj. de nobis i terrā post eos cōcordauimus  
 exilire/& aduersus eos magno aio pugnare/qd̄ &  
 quidē fecimus. Nā tū aduersum illos in terrā cū ar-  
 mis nřis p̄siluimus/cōtraq; illi sic sese nobis oppo-  
 suerit/ vt duabus ferme horis cōtinuū inuicē gesseri  
 mus bellū/p̄ter id q; de eis magnā faceremus victo-  
 riā/dēptis eorū ppaucis/q; balistarij colubrinarij  
 nostri/ suis interemerūt telis: qd̄ idcirco ita effectū  
 est/quia seipsoſ a nobis ac lāceis enfibufc; nřis/sub  
 tiliter subtrahebāt. Verūtā tāta demū in eos incur-  
 rimus violentia/ut illos cum gladijs mucronibusq;  
 nřis cominus attigeremus. Quosqdē cū p̄sensissent  
 oēs in fugā p̄ siluas & nemora cōuerſi sūt/ac nos cā  
 pi victores (interfectis ex eis vulneratisq; plurimis)  
 deseruerūt. Hos aut̄ p die illa lōgiore fuga nequaq;  
 inseq̄ voluimus/ob id q; fatigari nimīū tūc essemus  
 qn potius ad naues nřas cū tāta septē illorū qui no-  
 biscū venerāt remeauimus lēticia: vt tm̄ in sē gaudi-  
 um vix ipsi suscip̄e possēt. Seq̄nti autē aduētāte die  
 vidimus p̄ insulā ipsam: copiosam gentium appro-  
 pinquare cateruam/ cornibus instrumentisq; alij  
 (quibus in bellis vtuntur) buccinantem/qui & quo

# PRIMA

que depicti omnes ac varijs volucrū plumis ornati  
erāt. Ita vt intueri mirabile foret/ quibus pceptis ex  
inito rursum inter nos deliberauimus consilio: vt si  
gens hēc nobis inimicicias pararet/ nosmet omnes  
in vnū cōgregaremus/ videremusq; mutuo semper  
ac interim satageremus vt amicos nobis illos effice  
remus/ quibus amiciciā nostrā nō recipiētibus: illos  
qnasi hostes tractaremus/ ac quotq; ex eis cōprehē  
dere valeremus/ seruos n̄os ac mancipia ppetua fa  
ceremus/ & tunc armatiōres vt potuimus/ circa pla  
gam ipsam i gyrū nos collegimus. Illi vero<sup>c</sup> vt puto  
p machinarū nostrarū stupore nos in terrā tunc mi  
nime phibuerunt exilire. Exiūmus igit̄ in eos i ter  
rā quadrisfariā diuisi. Ivi, viri singuli decurionē suū  
sequētes/ & cū eis longum manuale gessimus bellū  
Verūtamē post diuturnā pugnā/ plurimumq; certa  
mē/ necnō interemptos ex eis multos/ omnes in fu  
gā coegimus: & ad vſq; populationē eorum vnam  
psecuti fuimus: vbi cōprehēsis ex eis. xxv. captiuis  
eandē eorum populationē igni cōbussumus/ & insu  
per ad naues n̄as cum ipsis. xxv. captiuis repedaui  
mus/ imperfectis ex eadem gente/ vulneratisq; pluri  
mis/ ex n̄is aut̄ interempto dūtaxat vno: sed vulne  
ratis. xxii. qui oēs ex dei adiutorio sanitatē recupe  
rauerunt. Ceterū aut̄ recursu in patriā q; nos delibe  
rato ordinatoq; viri septē illi/ qui nobiscū illuc ve  
nerāt: quorū quinq; in p̄misso bello vulnerati ex

## NAVIGATIO

